omus XVI (I novae seriei) Fasc. V. Mense Decembri 1927

PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

EDITA

A

D. M. PALERMO LAZZARINI, S. I.
Praefecto studiorum in Pont. Universitate Gregoriana
A. VERMEERSCH, S. I. Prof. Theologiae moralis
F. M. CAPPELLO, S. I. Prof. Iuris canonici
I. M. HANSSENS, S. I. Prof. Theologiae Liturgicae
in eadem Universitate

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (119)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1927

INDEX RER[illegible] ANALYTICUS

I. Dissertationes. Quaesita Varia. Casus

I. *De Concelebratione eucharistica.* **I. M. Hanssens, S. I.** Pa

I. De Sacramentali concelebratione in ordinationibus sacerdotalibus et episcopalibus (sequitur)

II. Historia

1. De ritibus latinis. 18

2. De ritibus orientalibus 20

Conclusio 20

II. *De Aequitate in Codice iuris canonici.* Prof. **Sosius d'Angelo.**

Aditus Quaestionis 21

Notiones praeviae 21

Aequitas in Codice 21

Aequitas naturalis 21

Aequitas canonica 22

Epikeia 22

Conclusiones 22

III. *Casus moralis-iuridicus de locatione agrorum.* Adv. Prof. **V. Del Giudice** . 22

III. *Quaestio canonica de iure accusandi matrimonium.* **F. M. Cappello, S. I.**

I. Status quaestionis eiusque momentum 22

II. An et quomodo remedium afferendum. 22

III. Utrum vocabulum impedimentum, de quo in C. 1971 § 1, 1º, lato an stricto sensu accipiendum sit 23

IV. An iure accusandi matrimonium gaudeat coniux qui, ex. gr. metum comparti intulit aut erroris substantialis causa fuit 23

V. An habilis sit ad accusandum matrimonium qui condicionem contra eius substantiam apposuerit 23

VI. Conclusio 23

IV. *De ritibus paschalibus et eucharisticis in ultima Cena.* **I. M. Hanssens, S. I.** *Dissertatio.*

Introductio 23

I. De ritu Cenae paschalis et ritu ultimae Cenae in N. T. . . . 24

II. Rationes comparandi ritum paschalem et ritum eucharisticum . . 24

III. Satisfit difficultatibus 25

V. *Quaestio de competentia matrimoniali parochi Gentilicii seu Personalis.* Dr. **L. Raymond.** 25

VI. *Quaestio de electione et postulatione.* **A. Vermeersch, S. I.** . . . 26

VII. *Dubia de ritibus Missae, de praecepto audiendi Missam, de utili praesentia in ordinatione.* **A. Vermeersch, S. I.**

I. De oratione ad libitum 26

II. De numero orationum 26

III. De orationibus sub unica conclusione 26

IV. De Missa pro gratiarum actione 26

V. De commemoratione orat. pro Fidei Propag. in die Missionali . . 26

VI. De nominatione Fundatoris in oratione « A Cunctis » 27

VII. De ecclesiastico praecepto audiendi missam in navi 27

VIII. De utili praesentia in ordinatione 27

IX. De ordinanda Missa quando expositio SS. XL Horarum occurrit a 30 octobris ad 1 vel 2 novembris 27

Solutio casus de Missae integritate et defectibus, propositi p. 179 . . 27

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De concelebratione eucharistica (*)

I.

De sacramentali concelebratione in ordinationibus sacerdotalibus et episcopalibus consecrationibus (sequitur)

II. *Historia.*

1. *De ritibus latinis.* In *Pontificale Romanum* hodierna concelebrationis lex et ratio opera AUGUSTINI PATRICII PICCOLIMINI, Placentini episcopi, stabili modo introducta esse videtur. Certe in prima *Pontificalis* editione, eius cura et IOANNIS BURCKHARDI cooperatione parata (1485), (22) ritus concelebrationis post sacerdotum ordinationem iisdem fere verbis atque in hodierno *Pontificali* descripti sunt (23). Haec tamen discrimina notanda sunt. Libros missales, e quibus novi sacerdotes missae preces recitare debent, coram se *super scabellis seu bancis ordinatis* habere dicuntur. De ipsa vero precum recitatione, omissa explicita orationis *Suscipe sancte Pater* mentione, praescribitur ut dicant *tacite canonem et quecumque de Missa dixerit Pontifex, qui tamen bene advertat,* etc. Additicia secreta

(*) Cfr. supra p. 143*-154*.

(22) Libri Pontificalis descriptionem v. apud L. HAIN, *Repertorium bibliographicum*, vol. II, pars II, p. 145, n. 13285.

(23) Fol. 28-30.

et postcommunio [redacted]em sunt atque nunc; rubricae autem quae ad cor[redacted]unionem et sequentes purificationes attinent multo breviores quam praesentes. Non praescribitur ut *Confiteor* a novis sacerdotibus omittatur. Verbum *Amen* non a communicantibus sed ab ipso Episcopo, modo solito, dicitur. Ceterum ipsa formula quae in communione tradenda recitanda est nonnihil ab hodierna differt; nam post verba *custodiat te* addita sunt haec altera: *et perducat.* Haec tamen varietas ordinationibus propria non est. Purificationem oris non ut nunc fit, sed in ipso communionis loco faciendam fuisse rubrica innuit: *Omnibus communicatis* et purificatis, *surgunt omnes.*

Quoad ritus concelebrationis post episcopalem consecrationem, nulla est animadversione digna diversitas inter *Librum Pontificalem* anni 1485 (24) et nostrum *Pontificale Romanum,* nisi quod in illo non adest rubrica quae praescribit ut *" ponatur una hostia consecranda, pro Consecrante et Consecrato, et vinum consecrandum, in calice, sufficiens pro utroque „.*

Itaque sicut hodie mos est, priorem missae, partem id est usque ad offertorium inclusive, in duobus diversis et separatis altaribus celebrabant consecrator et consecrandus, et huic pariter iam praescriptum erat ne se verteret ad populum, cum dicendum erat: *Dominus vobiscum,* sane quia privatim celebrare censebatur. Alteram vero partem missae (ab oratione *Suscipe sancte Pater)* ambo in eodem altari sacramentaliter concelebrabant, unus ad medium altare stans, alter ad extremum epistolae cornu.

Eadem fere aetate usus concelebrationis post ordinationes commemoratur in *Caerimoniali* romanorum Pontificum ab eodem PATRICIO concinnato et anno 1516 primum edito a CHRISTOPHORO MARCELLO, Cor-

(24) Fol. 34. 45-46.

cyrensi electo episcopo (25). Sive enim in sacerdotem ordinandus sive in episcopum consecrandus erat electus Summus Pontifex, hic cum Cardinale ordinatore vel consecratore sacramentaliter concelebrare solebat.

Verba *Caerimonialis* referre iuvat quibus concelebrationem post Summi Pontificis ad sacerdotium ordinationem exponit. Non pauca enim ista concelebratio peculiaria habet:

Post haec (id est post recepta ordinati dona) revertitur ordinator ad faldistorium et iterum tam ipse quam electus lavant manus et statim intrant ad altare. Electus accedit ad cornu altaris, ubi dicitur Epistola, et Presbytero Cardinale ministrante et serviente de libro, stans sine mitra, et voce submissa omnia dicit cum ordinatore, et cum ipso concelebrat signando, et etiam verba consecrationis cum ipso proferendo, non tamen movet se de loco suo usque ad communionem, et proceditur in missa in omnibus ut consuetum est: et post secretam de die dicitur secreta pro ordinato sub eodem Per Dominum. Postea quam ordinator sumpserit Sacram Eucharistiam, et partem sanguinis Christi cum particula Corporis Christi, quae erat intus, communicet electo, stanti in ipso cornu, de corpore et sanguine Christi: et postea ambo purificentur cum vino, ut ipsis placuerit. His peractis, electus revertitur ad sedem suam cum mitra, et ordinator cum mitra lavat manus (26).

Alterius concelebrationis, id est post Summi Pontificis consecrationem episcopalem peragendae, prorsus similis est in *Caerimoniali* ritus, nisi quod, ut semper in episcopalibus consecrationibus fit, electus etiam priorem missae partem celebrat, quamquam separatim a Consecratore. Quoniam tamen propter suam eminentem dignitatem ambo istam priorem missae partem, si confessionem excipias, non ad altare sed ad sedes suas celebrant (quod pariter valet de parte missae quae

---

(25) Nos editione Venetiana anni 1582 usi sumus, in qua liber inscriptus est *Sacrarum Caerimoniarum sive rituum ecclesiasticorum S. R. Ecclesiae libri tres.*

(26) Fol. 15 Scripturam editionis servavimus sed punctuationem ad hodiernum usum paululum aptavimus.

communionem sequitur), non duo sed unum tantum altare paratum est (27).

Ab ista autem quaestione, quae maxime ad historiam Pontificalis Romani spectat, haec altera satis diversa est: Quandonam in ecclesiis latinis coeptus est observari ritus concelebrationis in ordinationibus sacris?

Huius vero consuetudinis praeclarissimos testes habemus e saeculo XIII, GULIELMUM DURANDUM († 1296), et S. THOMAM AQUINATEM († 1274). Prior enim in suo *Rationali divinorum officiorum,* quod Romae vel certe in Italia redactum est, ita de concelebratione refert:

> Consecrat autem oleum Episcopus cum omnibus sacerdotibus ei adstantibus, quia hoc sacramentum fuit a Christi discipulis institutum: vel tractum est ab antiqua consuetudine qua consueverat ecclesia primitiva simul cum pontifice verbis et manibus corpus Christi conficere, forte ad testimonium, *prout hodie in Missa de ordinibus, cum ordinatore faciunt ordinati* (28).

At non solum testis concelebrationis in ordinationibus peragi solitae est Gulielmus Durandus, sed eundem ritum in *Pontificale* ad usum ecclesiae suae Mimatensis redactum admisit (29).

In quo pontificali ritus concelebrationis post ordinationem sacerdotalem ita exponitur:

> Post hec (hoc est post traditionem instrumentorum) proceditur in missa ordine solito et parantur hostie super altare pro numero ordinandorum quia omnes ad sacros ordines ordinati comunicare debent et ordinati *stent prope* altare et habeant libros coram se et dicant *tacite* canonem et quecunque in missa dixerit ordinator.

---

(27) Fol. 16-20.

(28) Lib. VI. c. 74, n. 8 circa med. Cfr. L. IV, c. 41, n. 50, quo tamen loco tantummodo de concelebratione extra ordinationes scribit et quaestionem theoreticam agitat de possibilitate consecrationis unius hostiae a pluribus sacerdotibus peractae. Sensum verborum *forte ad testimonium* in altera parte explicabimus.

(29) Etsi iam anno 1285 in sedem episcopalem Mimatensem evectus est, in hac civitate ab anno 1291 tantum usque ad annum 1295 commoratus est.

Et postquam pontifex comunicaverit mox ad sacros ordines ordinati comunicent de manu eius, prout dictum est supra in titulo de sacris ordinibus (30).

De communionis ratione haec notanda sunt. Formulae deest verbum *Amen,* quamquam illud ab ordinatis respondendum esse non dicitur. Sed neque de omittenda a presbyteris confessione quidquam statuitur. Post communionem autem, quae sub una specie fit, singulis vinum a diacono praebetur (31).

Ritus vero concelebrationis in episcopalibus consecrationibus simillimus est ritui a Patricio descripto. Ante offertorium enim missa a consecratore et consecrando in duobus altaribus celebranda est. Post offertorium autem et solitam donorum oblationem,

.... paratis duabus hostiis ad consecrandum, consecrator intrat secretam, consecrato ad dextrum cornu altaris iunctis manibus inter duos episcopos stante et concelebrante et faciente signa et submissa voce dicente omnia quequnque fecerit et dixerit consecrator (32).

Non minus disertum est testimonium S. THOMAE AQUINATIS, sed multo magis circumscriptum. Nam ad quasdam tantum ecclesias et, ut videtur, ad unam post sacerdotales ordinationes concelebrationem spectat:

Sacerdos cum ordinatur, constituitur in gradu eorum qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in coena. Et ideo secundum consuetudinem quarumdam ecclesiarum, sicut apostoli Christo coenanti concoenaverunt, ita novi ordinati Episcopo ordinanti concelebrant (33).

Post saeculum XIII, mentio sacramentalis concelebrationis in pontificalibus ritus romani, tunc fere ubique

---

(30) Codex Vat. lat. 1145, fol. 19r.

(31) Ibid., fol. 19v.

(32) Ibid., fol. 32r

(33) *Summa theologica,* p. 3a, q. 82, a. 2. Observet lector comparationem a S. Doctore adhibitam *(sicut apostoli Christo coenanti concoenaverunt)* optime aptari concelebrationi minus plenae, non autem concelebrationi sacramentali. De hac dicendum esset: *sicut apostoli Christo consecranti consecraverunt.* Sed hoc profecto absurdum esset

dominantis, non ita raro occurrit. E pluribus duo vel tria exempla sumamus:

Primum est Pontificale e codice Vaticano lat. 4744, saeculo XV scripto, quod etsi in ecclesia romana concinnatum non est, proprios tamen huius ecclesiae usus fideliter describit. Etenim ritus romanus, quamquam in principalioribus ritibus et precibus ubique idem erat, in ceteris tamen pro diversis regionibus et etiam ecclesiis non leves diversitates admittebat. In dicto autem Pontificali concelebrationis post ordinationes sacerdotales ratio haec est:

Hiis peractis legitur evangelium per unum de dyaconis noviter ordinatis. Post hec parantur hostie pro numero ipsorum presbiterorum qui omnes communicare debent, cum secundum consuetudinem Romane Curie sit de honestate quod omnes communicent qui sacros ordines susceperunt. Deinde procedatur in missa ordine solito et ordinati, *si velint*, habeant libros missales coram se, dicentes tacite canonem et quecunque de missa dixerit ordinator (34).

Communionis vero ritus idem est atque hodie, nisi quod formula verbis *et perducat* auctior est (sicut in *Pontificali libro* Patricii), sed in fine voce *Amen* caret. De hac tamen non dicit rubrica a quonam dicenda fuerit neque de omittenda confessione quidquam innuit.

Animadversione dignum est etiam quod ordinati non ante concelebrationem, sed post peractam missam manus extergebant et lavabant, quas igitur per totam missam ligatas habuisse videntur.

Concelebratio vero novi episcopi, in eodem pontificali descripta, in hoc ab hodierna discrepat, quod priorem partem missae consecrator solus celebravisse videtur. De altera autem missae parte rubrica ad verbum eadem est atque in *Pontificali* Durandi (35).

---

(34) Fol. X.
(35) Fol. XII - XIII.

Alterum exemplum est Pontificale Ecclesiae Moguntinae, e saeculo XIV ineunte, cuius ordinem MARTÈNE sub numero XVI edidit (36).

In eo, concelebrationis novorum sacerdotum mentio incerta est. Nihil enim de communi precum recitatione praescribitur:

Deinde cantetur offertorium et procedatur in missa more consueto. Provideatur etiam de hostiis pro communione sacerdotum et statuantur sacerdotes ordinati per circuitum altaris ut videant, et faciant signa coniunctis manibus quae episcopus faciat in canone et ultra (37).

Ante communionem etiam pro novis sacerdotibus confessio fit iisque datur absolutio. Apertissimis rursus verbis significatur altera concelebratio:

Dicta autem praefatione, ante principium canonis, ipsi duo episcopi assistentes cum consecrato procedant ad dexteram partem altaris, ita quod semper medius stet consecratus, posito libro missali ante ipsum, submissa voce omnia verba canonis cum consecratore suo dicat et signa quae consecrator facit infra canonem, ipse consecratus eadem signa faciat extensa manu (38).

Tertium denique exemplum sit Pontificale e codice Vat. lat. 1153, saeculo XIV scripto.

De concelebratione novorum sacerdotum haec tantummodo in eo statuuntur:

Qua oblatione (hoc est oblatione donorum in ordinationibus fieri solita) facta, vadant presbiteri ad altare ad standum a dextera et leva altaris. Diaconi in loco diaconorum stent antequam pontifex accedat ad altare ad sacrificium offerendum et sic stabunt donec pontifex communicaverit (39).

Communio fit ab omnibus sub utraque specie in eaque Sanguis de manu novi diaconi qui evangelium cantavit praebetur.

---

(36) *De Antiquis Ecclesiae Ritibus*, lib. I, c. VIII, art. XI, Antverpiae, 1763, t. II, pp. 77-82.

(37) *O. c.* p. 80, col. 2, in medio.

(38) *O. c.* 82, col. 1, ad fin.

(39) Fol. XII - XII.

Concelebratio vero novi episcopi nulla quidem rubrica praescribitur sed communionis mentionem haec verba subsequuntur: *Deinde rediens ad locum ubi erat in sacrificando peragit missam suam* (40); quae verba ad grammaticae leges, eo loco quo leguntur, nonnisi de novo consecrato intellegi possunt.

Sed multo gravior quaestio est utrum verba s. Thomae quae supra retulimus habenda sint necne pro antiquissimo testimonio de usu sacramentalis concelebrationis post ordinationem peragendae. Quidam affirmant (41).

Est tamen de ista concelebratione testimonium saltem unum, medio circiter saeculo antiquius quam testimonium s. Thomae.

Nam in pontificali quodam Apameae in Syria anno 1214 in usum Latinorum episcopi scripto atque ibidem saeculo XVII reperto (42), diserta fit concelebrationis post episcopi consecrationem mentio:

> Lecto evangelio et cantato symbolo eosdem cereos adhuc accensos et duos panes in manutergio positos inter brachia sua, et ampullam vini, quam acolythi tenent, super praedictos panes offert consecratori suo, et rediens ad altare, perficit missam cum ipso.....
>
> Cum venerit ad communicandum pontifex porrigit ipsi consecrato sacram oblationem integram, quam ipse suscipiens dat ei osculum. Et tunc accedens (consecratus) ad diaconum, suscipit de manu ipsius Sanguinem Domini; deinde rediens ad locum ubi fuerat in sacrificando peragit missam (43).

Neque dubium nobis videtur quin descripta concelebratio vera seu sacramentalis concelebratio fuerit. Hoc testari videntur ultima verba: « *rediens ad locum ubi fuerat in* sacrificando peragit missam ».

Valde dubia e contrario est rubrica de concele-

---

(40) Fol. XX - XXI.

(41) V. DE PUNIET, DAL., III, c. 2477.

(42) MARTÈNE, *De Antiquis Ecclesiae Ritibus*, 1763, t. II, pp. 69-74.

(43) *O. c.*, p. 73, col. 1 paulo post med.

bratione novorum sacerdotum, quin immo fatendum est illam concelebrationem ipso rubricae silentio potius excludi:

Hac benedictione completa is qui presbyter est ordinatus osculatis primum pedibus pontificis, det osculum tam eidem pontifici, quam episcopis, presbyteris, diaconibus et ceteris ministris altaris qui affuerint. Postmodum ascendat, et stet in ordine suo, et manus suas cum mica panis lavet; et tunc contetur *alleluia*, sive tractus.

Consequenter legat diaconus evangelium et cetera prosequentur ex more. Omnes vero qui ordinati sunt oblationes deferant ad manus episcopi, et ab eo postmodum communicentur (44).

Idem ordo paucis admodum exceptis, habetur in pontificali Constantinopolitano eiusdem circiter aetatis atque Apamiense similique de causa in Oriente concinnato.

Consecrati autem episcopi communio secundum morem romanum peragenda in Constantinopolitano pontificali hac ratione describitur:

Cum venerint ad communionem, domnus pontifex porrigit ei sacram oblatam integram; suscipiensque eam episcopus ipse ex ea communicat super altare; quod vero residuum fuerit, sibi reservet denuo ad communicandum quotidie usque ad quadraginta dies expletos et postmodum iussus a domino pontifice communicet populum cum ceteris episcopis (45).

Quae praescriptio reservandi in subsequentes dies partem panis consecrati communis est multorum pontificalium romanorum, quamquam in iis non omnino constans est numerus dierum in quos reservandus erat panis. Iste ritus sane magnam antiquitatem sapit, ex eoque edocemur qua de causa in antiquioribus pontificalibus usque ad extremum sæculum XV sæpius præscribatur ut in missa ab episcopo consecrato cum

(44) *O. c.*, p. 71, col. 2, paulo post med.
(45) *O. c.*, p. 74, col. 2, ad med.

suo consecratore celebrata duae praeparentur hostiae, cum hodie secundum Romanum Pontificale una tantum consecranda sit.

Ut iam innuimus, ritus qui in duobus pontificalibus quae paulo superius nominavimus exponuntur certo certius pro genuinis et tunc iam dudum in ecclesia romana receptis ritibus habendi sunt; nedum eos initio sæculi XIII in usum ecclesiarum latinarum in Oriente conditarum excogitatos esse putemus.

Quare profecto mirari licebit quod Martène, qui ordinem Apamiensem et Constantinopolitanum bene noverat primumque totum edidit, scribere non dubitavit morem quo presbyteri in sua ordinatione pontifici concelebrare solent in ecclesia ad summum 400 annis antiquiorem (i. e. multo ante finem sæculi XIII ortum) non videri (46).

Quod eruditissimi viri iudicium iam inde falsum erat quod tertia *Summae theologicae* pars a s. Thoma anno 1273 scripta est (47), neque profecto usus concelebrationis qui in ea memoratur, tunc primum ortus erat.

E disertis igitur testimoniis liquet ritum concelebrationis, saltem post episcoporum consecrationes, ecclesiam romanam non multo post medium sæculum XII iam in usu habuisse. Quod ad ceteras ecclesias spectat, etsi nobis de ea re non plane constare fatemur, putamus tamen longe plerasque morem concelebrationis post ordinationes subiungendae sæculo XII vel iam reliquisse vel nondum admisisse atque eum pluribus tantum post saeculis ab ecclesia romana vel tunc accepisse primum vel denuo recepisse. Hoc suadet, praeter alias rationes quas mox afferemus, silen-

---

(46) *O. c.*, lib. I, c. VIII, art. IX, n. XIX, p. 24.

(47) GULIELMUS DE TOCCO, *Vita*, n. 48 (AA. SS. Martii I, 674) et BARTHOLOMAEUS CAPUENSIS in *Processu beatif.*, n. 79 (Ibib. 712).

tium omnium pontificalium ceterorumque librorum liturgicorum. Scribit enim idem Martène:

> In... sacramentorum libris, Pontificalium aut Ritualium, quos perlustravimus magno numero, nihil huiusmodi reperimus, videturque usus ille proprius fuisse ecclesiae romanae, a qua post concilium Tridentinum, aut paulo ante, ad alias etiam transiit ecclesias (48).

Immo non numquam ista concelebratio aperte in illis libris negari videtur. In duobus enim pontificalibus ecclesiae Rothomagensis, ineunte sæculo XIII scriptis, statuitur ut missa novi episcopi nonnisi post absolutam consecratoris missam cantetur (49).

Igitur reliquum nobis est ut investigemus quaenam fuerit latinarum ecclesiarum consuetudo circa concelebrationem in ordinationibus ante medium saeculum XII. Sed quoniam de ceteris ecclesiis rursus nullum satis certum documentum quod ad rem decernendam conferat nobis reperire contigit, quaestionem quod ad illas attinet sub iudice relinquendam putavimus et de sola ecclesia romana indagavimus.

In ista autem ecclesia usum concelebrationis sacramentalis post ordinationes a principio floruisse testari videtur locus quidam e celebri illo documento quod *Constitutio Ecclesiastica Aegypti* vocari consuevit. Hodie enim communiter admissum est istam *Constitutionem* aliud non esse quam *Traditionem Apostolicam* anno 218, ut videtur, ab Hippolyto Romano, Portuensi Episcopo, conscriptam, ideoque eam origine sua ad liturgiam romanam pertinere (50). *Constitutionis Ecclesiasticae Aegypti* pristinum textum, qui graecus esse debuit, conservatum non habemus, sed quattuor

---

(48) V. notam (46).

(49) Martène, *o. c.*, p. 67, col. 2, paulo post init.

(50) R. H. Connolly *The So-called Egyptian Church Order aud derived documents* (Texts and Studies, VIII, 4), Cambridge, 1916.

tantum versiones ad nos pervenerunt: latina (51), aethiopica, coptica et arabica (52).

Audiatur autem quae de episcopi consecratione in *Constitutione Ecclesiastica Aegypti* statuatur. Verba latinae versionis referemus, a qua ceterum reliquae quoad sensum non differunt:

Qui cum factus fuerit episcopus, omnes os (i. e. osculum) offerant pacis, salutantes eum, quia dignus effectus est. Illi (i. e. novo episcopo) vero offerant diacones oblationem; quique (i. e. novus episcopus) inponens manus in eam cum omni praesbyterio dicat gratias agens: Dominus vobiscum. Et omnes dicant: Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino. Dignum et iustum est. Et sic iam prosequatur: Gratias tibi referimus... (53).

Sequitur hic totius anaphoræ seu canonis formula.

Quidquid de concelebratione quæ isto loco describitur aestimandum est, id est sive de plena sive de minus plena concelebratione in eo agitur, animadvertere oportet quantum illa concelebratio ab hodierna in hoc iam differat quod non ab episcopo consecratore cum episcopo consecrato peragitur sed ab hoc cum suis presbyteris. Aliis verbis, in exposita concelebratione novus episcopus non est concelebrans sed ipse principalis celebrans, adeoque ista concelebrandi ratio similis est illius quae in pluribus ritibus etiam extra occasionem ordinationum fieri solet.

Sed quaestio maxime ea est utrum necne plena seu sacramentalis sit eadem illa concelebratio.

Certe dicendum non est verba *cum omni praesbyterio* solummodo initialem anaphorae dialogum afficere

---

(51) *Didascaliae Apostolorum fragmenta Ueronensia latina. Accedunt Canonum qui dicuntur Apostolorum et Aegyptiorum reliquiae.* Primum edidit EDMUNDUS HAULER, Lipsiae, 1900, pp. 92-121.

(52) *The Statutes of the Apostles or Canones Ecclesiastici*, by Rev. G. HORNER, London, 1904. Refert textum aethiopicum et arabicum cum versione anglica utriusque et versionem anglicam textus coptici a Paulo de Lagarde (*Aegyptiaca*, Göttingen, 1883) editi.

(53) HAULER, *Didascaliae* etc (V. nota 51), p. 106.

(quod nullo pacto intellegeretur), sed eorum vis ad recitationem totius orationis sine dubio extendenda est. Nihilominus, etsi totam recitationem afficiunt, possunt praedicta verba aequa ratione coniungi vel cum praecedentibus verbis : *imponens manus in eam,* vel cum proxime sequentibus : *dicat gratias agens,* et prout hoc vel illud fiet, significabitur vel negabitur plena seu sacramentalis concelebratio.

Itaque concludendum est hoc *Constitutionis Ecclesiasticae Aegypti* loco alicuius quidem concelebrationis morem clare et certe significari, sed nullam ex eo desumi posse rationem affirmandi aut negandi concelebrationem fuisse sacramentalem.

Quin immo verum si loqui voluerimus, sacramentalis concelebratio nobis ibi potius negata videtur. Etenim si presbyterium simul cum novo episcopo orationem eucharisticam recitasset, populum communi voce salutans (*Dominus vobiscum*), quomodo explicaretur hunc uni tantum e concelebrantibus respondere debuisse dicendo : *Et cum spiritu tuo,* non autem : *Et cum spiritu* VESTRO. Neve respondeatur quod hodie fieri solet, potuisse agi et olim. Haec enim ratio non valet. Verum est, et quidem nimis, nos istas discrepantias et contradictiones in liturgicis formulis et ritibus parum curare, ut e mille exemplis manifestum est, at non ita sentiebant antiqui, sed iis singuli actus cultus liturgici singulaque verba suum sensum habebant, qui rerum veritati respondere debebat.

De concelebratione novorum sacerdotum, *Constitutio Ecclesiastica Aegypti* nullum documentum nobis affert, cum ritus ordinationis sacerdotalis, praeter essentialem manus impositionem, non recenseat (54). Num et quomodo tamen novi sacerdotes ea aetate statim post ordinationem suam concelebrare consue-

(54) *Ibid.*, pp. 108-109.

verint, e generalioribus rationibus elucebit quas postea persequemur. Idemque fiet de concelebratione novi episcopi.

Saeculo autem VII, constat concelebrationem sacramentalem post sacerdotalem ordinationem in usu ecclesiae romanae nondum fuisse. Mos enim erat ut novi presbyteri singuli ad *titulum* cui ordinatione sua addicti erant deducerentur ibique primum missas celebrarent.

Ecce quomodo res exponatur in *Ordine* quodam romano quem continet codex Parisinus Bib. Nat. lat. 974, olim Almae ecclesiae Sancti Amandi in Pabula :

Ipsa (oratione consecratoria) expleta, ducit eos (novos presbyteros) archidiaconus osculando per ordinem episcopos, deinde presbiteros ; et stant in caput, supra omnes presbiteros, per ordinem, sicut vocati sunt a pontifice, eodem die. Deinde offerant pontifici ante omnes presbyteros et communicant similiter eodem die ante omnes. Et accipit unusquisque a pontifice firmata oblata de altare, unde et communicat XL diebus.

Missa expleta, sint parati mansionarii de titulis ipsorum cum cereostata et thimiamateriis; et procedunt de ecclesia beati Petri apostoli unusquisque in titulo suo, habens unusquisque paranymfam presbiterum secum ; et stratores missi a pontifice duo ante eum euntes et tenentes caballo cum freno hinc et inde, et clamant voce magna : *Tali presbitero talis sanctus elegit !* Et respondent mansionarii ipsum (i. e. idem seu eadem verba) usque in titulo ipsius. Et vadit post eum sacellarius ipsius, faciendo aelemosinam, et cum pervenerit ad ecclesiam, ponitur sedes latus altare, et habet ibi licentiam sedere eodem die et in vigilia paschae tantum et dicere *Gloria in excelsis Deo.* Similiter paranimfus presbiter stat a latere ipsius et legit evangelium in ambone. Deinde presbiter supradictus facit missa. Et completa ea, aegreditur de ecclesia et epulat cum amicis suis (55).

---

(55) L. DUCHESNE, *Origines du Culte Chrétien*, 5e édit., 1920, p. 497. Cfr. p. 475. Vox *firmata* scripta videtur pro voce *formata*. De hac autem v. DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis*, Parisiis, 1844, t. III, 367, Vo *Formata*, ubi nomen *formata oblatio* idem significare innuitur atque *panis imagine ornatus*. Nos putamus *formatus* hic idem significare atque *integer* seu formam suam atque figuram integram habens.

In hac descriptione non nulla peculiari animadversione digna sunt. Et primum quidem quod *missa quam facit* novus presbyter non intellegenda est de *dimissione* populi post cantatum angelicum hymnum et recitatum evangelium (quem sensum verbum *missa* antiquitus saepe habebat) sed vera erat missa, ut patet e verbis *missa expleta* paulo superius occurrentibus, quibus certo certius vera missa a pontifice celebrata significatur. Attamen e pluribus indiciis veri simile est expositum ritum non esse ordinationis cuiuslibet presbyteri sed presbyterorum cardinalium, i. e. illorum qui titulis praepositi erant. Denique (res sane mira) e descriptionis verbis credendum esset illa aetate novos presbyteros solitos fuisse die suae ordinationis bis communicare, primum in ordinationis missa et iterum in propria missa. Existimamus tamen eos in priore missa panem consecratum eumque integrum e manu pontificis quidem accepisse sed ex eo non ante communionem suae propriae missae seu nonnisi simul cum pane a se consecrato gustasse. Non enim dissimilis erat usus illius panis a consecratore novo episcopo (ut narravimus supra) vel novo presbytero traditi, ut ex eo per plures dies ederent, a notissimo usu *fermenti*, quod dicebatur.

Ordini codicis S. Amandi nullo pacto contradicunt duo alii romani ordines, quorum prior fortasse ritus ordinationum saeculi VI, alter certe ritus saeculi IX refert. Sunt hi VIII et IX inter ordines a Mabillon olim vulgatos (56).

In antiquiore ultimus et praecipuus ritus ordinationis presbyterorum ita describitur:

Et tunc aliam illi (ordinando) dans orationem, consecrat eum presbyterum; (hic autem) dans osculum episcopo vel ceteris sacerdotibus, et stat in ordine presbyterorum, et dicitur

(56) MABILLON, *Musaeum Italicum*, c. II (1689) pp. 85-94. PL 78, 999-1008.

alleluia, vel tractus et evangelium, et quod sequitur, et completur missa ordine suo (57).

Ritus autem episcopalis consecrationis sic :

Completa litania surgent, et tunc benedicent eum. Et benedictione expleta, dat osculum domnus apostolicus ; et tenens eum archidiaconus deportat eum ; et sic dat osculum episcopis et presbyteris. Et tunc iubet eum domnus apostolicus supra omnes episcopos sedere ; et dum sederit, dicitur *Alleluia*, deinde evangelium, et expletur missa.

Dum vero venerit ad communicandum, domnus apostolicus porrigit ei formatam atque sacratam oblationem ; et eam suscipiens episcopus ipse ex ea reservat ad communicandum usque ad dies quadraginta, et postmodum ex praecepto domini apostolici communicat omnem populum (58).

In altero ordine seu IX, iidem ritus hac ratione exponuntur :

In presbyterorum ordinatione,

Et complentur benedictiones eorum qui presbyteri ordinantur ; et tunc descendunt in presbyterium, et statim unus ex novitiis diaconibus legit evangelium et ad ipsam missam ministrant (novi diacones) unusquisque secundum officium suum. Tollit vero pontifex oblatas integras, et dat singulis novitiis presbyteris, et inde communicantur usque dies VIII.

Expletis omnibus, missa rite completa, stant regiones paratae ad singulos titulos pertinentes cum candelabris et thuribulis, ut proprium suscipiant sacerdotem. Pontifex autem donat eis sacerdotalia indumenta, et ministeria missae, aurum vel argentum, vinum, frumentum et oleum. Egredientes autem de basilica sancti Petri, praecedent unumquemque vel triginta candelabra cum thuribulis. Ipse sedet super equum album : praecedens et subsequens populus canit ei laudem. Similiter etiam feminae diaconissae et presbyterissae, quae eodem die benedicuntur. Plateae autem civitatis, unde transituri sunt, coronantur lauro et palliis, et cum tanta gloria ad statutos titulos deducunt proprios sacerdotes, et ipse facit eis illo die convivium (59).

---

(57) PL 78, 1001 C 7-12.
(58) *Ibid*, 1004 B 1-15.
(59) *Ibid*, 1005 B 5 — C 13.

In episcoporum autem consecratione,

Pontifex vero ponit manum super caput eius, et dicit unam orationem in modum collectae, alteram eo modulamine quo solet contesta (i. e. praefatio) cantari, et sedet pontifex in sella sua. Ipse vero osculatur pedem eius, et suscipitur ad pacem, et sic consummatur consecratio illius. Et ipso die, ubicumque apostolicus missam celebrat, de manu eius communionem accipiat (60).

Profecto mirum esset, si iis saeculis novi episcopi vel novi presbyteri sacramentaliter concelebrare consuevissent, istum gravissimum ritum numquam inter plures multo minoris momenti fuisse commemoratum.

Nihilo minus, etsi nobis statuendum esse videtur saeculis VI-VIII romanae ecclesiae consuetudinem non fuisse ut sive episcopi sive presbyteri in ordinatione sua sacramentaliter concelebrarent, liquet aliquam minus plenam seu caerimonialem concelebrationem saltem novis episcopis fuisse concessam.

Eandem autem negativam responsionem quod ad sacramentalem concelebrationem attinet, suadent etiam orationes quae illis saeculis in missa sive consecrationis episcopalis sive ordinationis sacerdotalis recitandae erant.

In iis enim ordinati atque consecrati, quotiescumque designantur, numquam nisi tertia persona nominantur. Orat pro illis celebrans, non ipsi pro se. En illarum orationum textus :

E sacramentario *Leoniano* (saec. VI). In episcoporum consecratione :

(*Secreta*) Suscipe Domine quaesumus munera *famuli tui illius* et propitius in *eodem* tua dona custodi.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro *illo famulo* tuo quem ad pontificalem gloriam promovere dignatus es, quaesumus Domine, placatus accipias ut quod Divino munere consecutus *est* Divinis effectibus *exsequatur* (61).

(60) *Ibid*, 1006 B 1-8.
(61) *Edit.* FELTOE, p. 119.

In presbyterorum ordinatione nulla missa propria praebetur (62).

E sacramentario *Gelasiano* antiquo (saec. VI-VII). In episcoporum consecratione:

(Secreta) Suscipe Domine munera, quae tibi offerimus pro *famulo tu Illo* et propitius in eo tua dona custodi (63).

In ordinatione presbyterorum:

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro *famulis tuis* quos ad Presbyteri.... gradus promovere dignatus es, quaesumus Domine, placatus suscipias: et quod *eis* divino munere contulisti, in *eis* propitius tua dona custodi (64).

E sacramentario Hadriani quod Gregorianum dicitur, In episcoporum consecratione:

Hanc igitur oblationem... quam tibi offerimus etiam pro *famulo tuo illo,* quem ad episcopatus ordinem promovere dignatus es, *et reliqua sicut in Leoniano* (65).

Quoad presbyterorum ordinationem, in eo sacramentarii Gregoriani loco ubi ipsa ordinationis oratio posita est, sicut in Leoniano, nulla missa subiungitur (66). Sed versus finem libri, sub numero 199 et cum hac inscriptione *Oratio in ordinatione presbyteri,* reperitur aliqua missa quinque orationibus constans quae re vera videtur ipso die ordinationis recitanda fuisse.

Iam vero hoc proprium habent istius missae orationes, quod novi ordinati in iis non tertia persona, sed prima, et quidem numeri pluralis, designantur.

Praefatio. Vere dignum et iustum est... Qui dissimulatis peccatis humanae fragilitatis *nobis indignis* sacerdotalem con-

---

(62) *Ibid*, pp. 122-123.

(63) MURATORI, *Liturgia romana vetus*, t. I (1748), c. 626.

(64) *Ibid.*, c. 517.

(65) H. LIETZMANN, *Das Sacramentarium Gregorianum nach dem Aacheuar Urexemplar,* Münster in Westf., 1921. p. 6.

(66) *Ibid.*, pp. 7-8.

fers dignitatem, da *nobis* quaesumus, ut ad sacrosancta mysteria immolando sacrificia cum beneplacitis mentibus facias introire...

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, quam tibi offerimus in die hodiernae sollemnitatis, quo *nobis indignis* sacerdotalem infulam tribuisti, quaesumus domine ut placatus accipias: et tua pietate conserva quod es operatus in *nobis*. Diesque nostros..... (67).

Quod quidem non absurde ita explicaretur quod istae orationes fuissent a novis presbyteris post ordinationem suam concelebrantibus recitandae. Neque contradiceret ista opinio iis quae supra statuimus. Fieri enim potuit ut mos concelebrationis novorum sacerdotum, antea ignotus, decurrente saeculo VIII in liturgiam romanam admissus sit. Et rursus notandum est sacramentarium Gelasianum extra Urbem non solum diu sacramentario Hadriani restitisse sed in plerisque ecclesiis usque ad saeculum XIII et etiam XIV, vel solum vel cum altero sacramentario numquam adhiberi desiisse. Immo etiam si constaret aliqua in ecclesia sacramentarium Hadriani ad celebrationem missarum fuisse adhibitum, non necessario inde inferendum esset etiam ritus ordinationum fuisse mutatos. Iam enim saeculo VIII pontificalia a sacramentariis distincta esse coeperunt. Quo factum est sine dubio ut in longe plerisque pontificalibus in quibus orationes in missa ordinationum recitandae notantur, hae non formulis sacramentarii Hadriani propriis constent sed antiquiorum rationem referant, quibus ordinati non prima sed tertia persona nominantur (68). Ita se res habet etiam in iis pontificalibus recentioribus in quibus concelebratio sive post ordinationes sive post consecrationes praescribitur; sed in iis tunc explicite vel implicite notatur novos ordinatos vel consecratos tertiam personam in primam mutare

(67) *Ibid.*, p. 110.

(68) MARTÈNE, *De Antiquis Ecclesiae Ritibus*, 1763, t. II, pp. 32. 48. 54. 57-58. 76 et 36. 69.

debere. Ita diserte factum esse diximus v. g. in *Libro Pontificali* Patricii et in *Pontificali Romano*. Attamen orationibus antiquioris modi (quae tertia persona utuntur) additae nonnumquam reperiuntur in eodem pontificali orationes formae recentioris, id est quae primam personam in nominandis ordinatis adhibent; hae autem e sacramentario Hadriani sunt desumptae vel novae sunt (69).

At ex altero capite non levis oritur difficultas contra interpretationem quam adhuc admittere videbamur orationum sacramentarii Gregoriani. Si enim concelebrassent novi sacerdotes cum istas orationes dicebant, id nonnisi cum suo consecratore facere poterant, adeoque hic easdem istas orationes recitare debebat. Hoc autem vix aut ne vix quidem credendum est. Quomodo enim potuisset episcopus consecrans, maxime Summus pontifex, haec et similia verba dicere: *Quam tibi offerimus in die hodiernae sollemnitatis, quo nobis indignis sacerdotalem infulam tribuisti?*

Quare putamus formulas istas quae ad finem sacramentarii Gregoriani positae sunt (70) adhibendas fuisse in missa illa quam romani presbyteri unusquisque in suo titulo statim post completam ordinationem celebrare consueverant. Haec hypothesis inde confirmatur, quod in oratione postcommunionis intercessio invocatur alicuius sancti cuius nomen singulis vicibus supplendum erat. (71) Hic autem sanctus alius esse non potest quam is cui titulus uniuscuiusque presbyteri dicatus erat. Eadem rursus hypothesi bene explicatur non solum mentio recentis ordinationis et usus primae personae sed usus quoque numeri pluralis. Plures

---

(69) *Ibid.*, pp. 54. 57-58 et 35.

(70) LIETZMAN (v. n. 65), p. 110.

(71) AD COMPLETA. *Corporis Sacri et pretiosi sanguinis repleti quaesumus.... intercedente beato ILLO propitius muniendo custodias.* Cfr. descriptionem ordinationis et subsequentis missae ex ordine S. Amandi, p. 194*. Stratores clamabant ante novum presbyterum : *Talem presbyterum talis sanctus elegit!*

enim solebant ordinari presbyteri in singulis ordinationibus (72).

Ex iis quae diximus iam statuere licet ritu sacramentalis concelebrationis, sive post ordinationem sacerdotalem sive post episcopalem consecrationem, ecclesiam romanam ante saeculum IX usam non esse, aliqualem tamen minus plenam seu caerimonialem concelebrationem novis presbyteris et maxime novis episcopis saepius concessisse. Ceterum has conclusiones distinctius ponemus cum ad finem huius primae nostrae dissertationis partis pervenerimus. Restat ut primum de historia eiusdem concelebrationis in ritibus orientalibus, breviter investigemus.

2. *De ritibus orientalibus.* Obscurior magisque dubia quam in ecclesiis latinis apparet in orientalibus ecclesiis ratio quam olim tenuerunt de concelebratione post ordinationes peragenda. Documenta enim quae de ordinationibus agunt aut de missa in iis celebranda plane silent, aut eius ritus tam incertis verbis describunt ut ad quaestionem nostram solvendam vix aliquid conferant.

Ritum **byzantinum** ordinationum qualis saeculo XIV observabatur SYMEON THESSALONICENSIS in suo tractatu de *Sacris Ordinationibus* (73) exponit et commentariis illustrat. Iam vero quamquam ordinationis sacerdotalis omnes ritus, nullo omisso, recenset (iidem iam sunt qui hodie observantur), de missae celebratione innuit quidem episcopo celebranti plures adstare presbyteros et diaconos, sed nihil de istius presbyterorum concelebratione asserit (74). Novimus tamen aliunde, ut postea demonstrabimus, Symeonem extra ordinationes concelebrationem aliam non novisse quam mere caerimonialem. Quod autem ad novi presbyteri partes in

(72) Immo aliquando plures simul episcopi consecrabantur.

(73) *Περὶ τῶν ἱερῶν Χειροτονιῶν*, PG 155, cc. 361-470.

(74) *O. c.*, CLXXXI, 388-389.

celebratione missae attinet, eosdem istos ritus accurate refert, nobis iam ex euchologio notos, quibus novus sacerdos sine dubio aliquo modo cum episcopo concelebrare dicendus est: nimirum statim post celebrantem et ante ceteros omnes presbyteros communicat, iisdem presbyteris et diaconis calicem praebet, orationem actionis gratiarum quae post ambonem dicenda est recitat (75). Recitatne quoque cum episcopo totam anaphoram, non exclusis ipsis consecratoriis verbis? De ea re ne verbum quidem facit Symeon. Ex isto autem silentio fortasse parum deducendum esset, nisi aliud accederet indicium, quo apparet istud silentium pro implicita negatione haberi posse. Audiamus enim quaenam sit vis seu significatio communionis a neosacerdote post suam ordinationem factae et maxime muneris ei hac occasione commissi, calicem ceteris presbyteris atque diaconis tradendi:

> Redditus sic vere perfectus, et tremenda communione sigillante et obsignante ordinationis sacramentum, in quodam loco altaris se sistit, et sacratissimum calicem manibus tenens de divino sanguine tradit presbyteris et diaconis accedentibus, opere testificans se consecratum esse in sacramentorum sacerdotem, et ea aliis communicandi facultatem et auctoritatem accepisse (76).

Et paulo superius, ritum quo pars consecrati panis novo sacerdoti manibus custodienda traditur illustrans, iam scripserat:

> Res haec sacri timoris omnino plena est. Ostendit enim (novus sacerdos) ut est sacrorum Dei mysteriorum oeconomus factus, se nullum alium quam ipsum Iesum, panem vivum, sacro ritu conficiendum (ἱερουργεῖν) accipere et sibi eius sacerdotium atque eum ipsum (Iesum) committi ad instar depositi (77).

---

(75) *O. c.*, CLXXIX - CLXXXIV, 386-394.
(76) *O. c.*, CLXXXIII, 393 A.
(77) *O. c.*, CLXXXII, 392 A.

Nonne si iam antea sollemniter novus presbyter cum episcopo consecrationem eucharisticam perfecisset, haec quam maxime pro consummatione sacramenti ordinationis et testificatione novi muneris habenda fuisset? Et tamen, ut iam diximus, de ista participatione in conficienda eucharistia ne verbum quidem facit Symeon.

Novum sacerdotem anaphoram cum episcopo non recitare inde quoque demonstratur quod post datum et receptum osculum pacis « iterum stat divinae mensae inclinatus, et Dei misericordiam invocans » (78). Quae quomodo recitationi orationis eucharisticae conveniant non videmus.

Quod ad episcopi consecrationem attinet, Symeon pariter apertissimis verbis asserit novum episcopum cum episcopo consecratore pari tempore et ratione atque ceteri episcopi (qui consecratori adstiterunt) et presbyteri concelebrare solere. Quaenam autem sit istius concelebrationis ratio, utrum plena an minus plena, neque hic ullatenus definit. Ita enim scribit de hac re:

Cum autem sederunt omnes episcopi et presbyteri, et Apostoli (i. e. epistolae) verba legenda sunt, adit (novus episcopus) archiepiscopum (consecratorem), ut benedictionem ab eo accipiat, eamque lectori det... Lecto Apostolo pacem lectori precatur, secundas post archiepiscopum partes ferens. Ipse enim archiepiscopus pacem precatur ei qui evangelium legit. Sic perficitur divina liturgia, stante ordinato ante omnes concelebrantes episcopos (i. e. primum locum obtinente post archiepiscopum). Pronuntiat etiam primam ecphonesim (conclusionem elata voce prolatam) orationis catechumenorum.

In divina vero communione primus divinum panem manibus ab archiepiscopo accipit et cum eo communicat; postea praebet archiepiscopo divinum sanguinem e sacro calice, et illi rursus archiepiscopus. Deinde... post divinam communionem archie-

---

(78) *O. c.*, CLXXXI, 389 D. His verbis alluditur ad ps. *Miserere mei Deus* recitationem.

piscopus... divinum panem dividens omnibus distribuit. Ordinatus autem episcopus accipiens primum divinum calicem, eum accedentibus episcopis et reliquis praebet. Denique lavatis manibus sacrum antidorum (panes benedictos) iussu archiepiscopi populo praebet (79).

Ex antiquis autem euchologiis vix quidquam de nostra praesenti quaestione discere possumus. Saepius enim de ratione qua in ordinationibus celebratur liturgia prorsus silent, vel etiam, si aliquam concelebrationem commemorant, id tam parcis tamque incertis verbis faciunt ut de natura illius concelebrationis nihil inde statui liceat.

Plenae concelebrationis post sacerdotalem ordinationem hoc tantum indicium habetur quod, post perfectam ordinationem, novus sacerdos, dum suo loco ad altare cum ceteris presbyteris adstat, *libellum* manu tenere in plerisque antiquis euchologiis graecis iubetur (80).

Pauca ista verba commentans GOARIUS, mirum est quantum ex iis deducat:

"*Ἱσταται μετὰ τῶν Πρεσβυτέρων.* An ideo solum, ut et Ordine Presbyteri a Deo insignitus, loco quoque inter presbyteros a Pontifice promoveatur ?... Non ita : sed ut cum reliquis Sacerdotibus, et ipso Pontifice, sacra peragat. Huiusmodi enim est apud Graecos sicut et apud Latinos consuetudo ut non tantum recenter ordinati Presbyteri in eadem liturgia Pontifici in sacrificio cooperentur, sed et in diebus sollemnioribus plures Pontifices et Sacerdotes Patriarchae, Episcopo vero plures Sacerdotes et tandem *Πρωτοπαπᾷ* alii concelebrent, et unum simul sacrificium et sacramentum aggrediantur perficiendum...

Vox *κοντάκιον* saepius *brevem modulum*... hic autem librum Missalem, utpote *brevem*, et solas Basilii, Chrysostomi, et Ger-

---

(79) *O. c.*, CCXIV - CCXV, 428 A B.

(80) IACOBUS GAAR *ΕΥΧΟΛΟΓΙΟΝ Sive Rituale Graecorum*, Lutetiae Parisiorum, 1647, p. 294, col. 2. In *Ἀρχιερατικὸν περίεχον τὰς θείας καὶ ἱερὰς Λειτουργίας*, Athenis, 1902, p. 48, pro verbo *κοντάκιον* posita sunt verba *τὰς εὐχάς*.

mani (i. e. Praesanctificatorum) liturgias complectentem, significat. Hunc merito legit Sacerdos recens Ordinatus, quia Pontifici confestim concelebrat, et eiusdem liturgiae fit collega (81).

Tam gravium autem assertionum doctissimus commentator nullam idoneam probationem affert, cum exempla quibus utitur ad concelebrationem post ordinationes non pertineant.

Praeterea animadvertendum est, verba *e suo libello legens* in pluribus ex antiquioribus euchologiis graecis plane deesse. Ita v. g. se res habet in euchologio celebris ms Barberini graec. III. 55, saeculo VIII ineunte exarati (82), et in aliis quos collegit Alexius Dmitrievskij (83). Ad istam traditionem pertinent pontificalia quoque slavica (84).

Parciores quam ritus liturgiae post ordinationem sacerdotalem celebrandae sunt in antiquis euchologiis graecis ritus quibus describitur concelebratio novi episcopi cum suo consecratore. Concelebrationem aliquam peragi debere post consecrationem episcopalem etiam ex antiquioribus euchologiis liquet, sed neque hic ullum offertur indicium quo iudicare liceat utrum ista concelebratio plena sit an mere caerimonialis.

In **ceteris orientalibus** ritibus quid sit antiquitus observatum de concelebratione post ordinationes, vix plus quam nihil scimus.

Antiqui enim libri rituales non plus quam hodierni quidquam iuvant. Quales hodie adhibentur, tales fere iam in antiquioribus codicibus reperiuntur. Ad alia igitur auxilia nobis confugiendum est.

---

(81) *O. c.*, p. 299, nn. 20-21.

(82) *O. c.*, p. 296. Dicitur tantum : *et tandem illum cum reliquis Presbyteris collocat.*

(83) *Descriptio liturgicorum manuscriptorum qui conservantur in bibliothecis Orientis Slavo - orthodoxi* (Russice), t. II, *Εὐχολόγια*, Kiovii, 1901, pp. 17 (s. X). 298 (s. XIV). 328 (s. XIV). 360 (s. XIV). 377 (a. 1407). 773 (a. 1538). 787 (a. 1541).

(84) In ecclesiis slavis, et hodie etiam in ceteris plerisque, officia episcoporum propria in libro ab euchologio distincto collecta sunt.

Ex ipso iam nomine apparet quidem ad ritum **Aegypti** ecclesiarum pertinere *Constitutionem Ecclesiasticam Aegypti.* Ex ecclesia enim romana in usum illarum ecclesiarum transiit. Eius autem testimonium de concelebratione post episcoporum consecrationem agenda iam antea perpendimus ostendimusque concelebrationem quam describit non esse plenam sed mere caerimonialem (85).

De ritu **syro occidentali** lingua *syriaca* celebrato, praeter ipsos libros rituales omnino deesse videntur quaelibet documenta quae ad nostram rem faciant. Aestimandum est nihilominus hodiernum morem episcopos atque presbyteros post perfectam eucharisticam consecrationem consecrandi vel ordinandi fere a principio fuisse in isto ritu observatum. Quare in eo numquam consuetudo esse potuit concelebrandi post ordinationes.

Ad ritum autem **syrum occidentalem** linguae *graecae*, qui hodie fere omnino obsolevit (86), referenda sunt quaedam magni momenti documenta quibus eius ortus et historia illustratur, puta *Canones Hippolyti* qui vocantur, *Constitutiones apostolorum*, *Testamentum Domini nostri Iesu Christi.* Quae opera omnia, saeculis V et VI compilata, maxime e *Traditione Apostolica* Hippolyti Romani, sicut *Constitutio Ecclesiastica Aegypti*, desumpta sunt sed usui ecclesiis Syris accommodata.

In *Canonibus Hippolyti* concelebratio novi episcopi eadem ratione atque in *Constitutione Ecclesiastica Aegypti* exponitur eodemque modo est intellegenda:

Diaconus autem afferat oblationes et illi qui factus est episcopus imponat manus super oblationibus una cum presbyteris dicens: Dominus cum omnibus. Respondet populus: Et

---

(85) V. Supra p. 193*.

(86) Celebratur adhuc certis diebus Hierosolymis et in insula Zante liturgia graeca « S. Iacobi fratris Domini ».

cum spiritu tuo. Dicat: Sursum corda vestra. Respondet populus: Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino. Et respondent: Dignum et iustum..... Postea autem dicat orationem (eucharisticam) et perficiat missam (87).

In *Constitutionibus Apostolorum,* quamquam paulo fusior est descriptio (88), re tamen vera a praecedenti non discrepat, eandemque praebet ambiguitatem de connexione verborum *una cum presbyteris,* quae possunt igitur vel cum praecedentibus vel cum sequentibus verbis coniungi.

Ut autem huius *Constitutionum Apostolorum* loci significatio recte intellegatur, notandum est episcopum seu pontificem qui principalis celebrantis munere fungitur non esse episcopum consecratorem, sed ipsum novum episcopum paulo antea in liturgia consecratum. Hoc enim, etsi non ex ipso loco, e praecedentibus tamen capitibus clare apparet (89). Et proinde hic quoque animadvertendum est concelebrationem istam non esse novi episcopi cum suo consecratore et eius assistentibus sed presbyterorum cum novo episcopo.

In *Testamento Domini nostri Iesu Christi,* quamquam descriptio missae inde a dimissione catechumenorum expositionem rituum consecrationis episcoporum immediate sequitur, manifestum est tamen illam non tantum missam occasione consecrationis episcopalis celebrandam respicere sed omnem missam pontificalem. De concelebratione igitur quae in ea perficitur, in altera parte disserendum erit. Hic animadvertere satis erit descriptionem *Testamenti* aperte ostendere istam concelebrationem non esse sacramentalem sed mere caerimonialem, quoniam in ea statuitur concelebrantes cum celebrante manus in oblata extendere,

---

(87) HANS ACHELIS, *Die Canones Hippolyti* (Texte u. Untersuchungen, VI, 4) Leipzig, 1891, c. III, 20-27, pp. 48-51.

(88) L. VIII, c. 12, 3-4, Edit. FUNK, I, pp. 494-497.

(89) Cc. 4-6, FUNK, I, pp. 470-473.

non autem cum illo orationem eucharisticam recitare (90).

Eiusdem ritus syri antiqui testis est etiam s. Ioannes Chrysostomus in contione quam secundum suae aetatis morem, die suae ordinationis, loco consuetae homiliae ad populum habuit. Iam vero in hac contione non solum nulla fit cuiuslibet eucharisticae concelebrationis mentio, sed ista concelebratio potius implicite negari dicenda est. Etenim profitetur quidem novellus sacerdos vehementem cupiditatem statim post adeptum sacerdotium Deo primum sacrificium offerendi : « Cupiebam igitur, inquit, et ipse hodie has mactare victimas et altare spirituale hisce cruentare hostiis ». Sed quodnam sacrificium erat istud? An sacrificium eucharisticum brevi postea in concelebratione offerendum? Nullatenus. Erat « sacrificium verborum » sive « sacer hymnus » quo Deo gratias agere volebat ut psalmista commendat: *Laudabo nomen Dei mei cum cantico: magnificabo eum in laude.* Erat ipsa prima eius contio, qua Deo primitias suae praedicationis dicare cupiebat (91).

Eundem denique ritum refert mysticus tractatus Pseudo-Dionysii Areopagitae de *Ecclesiastica Hierarchia,* in qua, post tria iniationis sacramenta, fuse exponuntur sacrae ordinationes. At quamvis accurate praecipui ordinationum ritus in eo describantur, de liturgia in illis celebranda nulla fit mentio (92).

De ritu **syro orientali** antiquo nullum testimonium habemus quod ad praesentem nostram quaestionem spectet.

Armeni vero optimos quidem habent atque anti-

---

(90) *Testamentum Domini nostri Iesu Christi* [Textus syriacus cum versione latina], Rahmani, Moguntiae, 1899, pp. 34 (35) - 36 (37).

(91) *Homilia I, Cum presbyter fuit ordinatus,* nn. 1-2, PG 48, 693-696.

(92) Cap. V, PG 3, 499-516.

quos suorum rituum commentatores (93) sed neque apud illos quidquam de concelebratione post ordinationes invenire est, adeoque existimamus eos iam a primis suae ecclesiae saeculis eandem in re disciplinam atque hodie observavisse.

His dictis, pro **conclusione primae** nostrae disquisitionis **partis** haec statuere licet:

1°) Mos sacramentalis seu plenae concelebrationis in ordinationibus observatur in *ritibus* latinis et in *ritu* byzantino, sine ulla distinctione *ecclesiarum* et linguarum liturgicarum. In ceteris *ritibus* ignota est, cum inter heterodoxos et schismaticos tum inter catholicos.

2°) Iste usus in *ecclesia* romana inter extremum saeculum VIII et medium XII ortus est primumque admissus est inter ritus consecrationis episcoporum. Ab *ecclesia* romana sensim sine sensu diversisque modis ad alias etiam *ecclesias* occidentales (cuiuslibet ritus latini) transiit. Non ante saeculum XV vel XVI videtur ubique viguisse.

3°) Nihilo minus aliqualis minus plena seu caerimonialis concelebratio videtur fuisse concessa cum novo episcopo tum etiam novis presbyteris in ipsa missa ordinationum perficienda: v. g. novus episcopus communionem populo distribuere iubebatur; novi sacerdotes pontifici celebranti adstabant.

4°) Concelebratio quae primis saeculis in *ecclesia* romana agi solebat ab hodierna in eo differebat quod non fiebat a novo episcopo cum suo consecratore sed a presbyteris cum novo consecrato. Praeterea non erat sacramentalis sed mere caerimonialis.

---

(93) Inter ceteros excelluerunt CHOSROES MAGNUS (S. X) qui *Commentarium in oblationis preces* conscripsit, editum Venetiis, 1869, atque latine redditum apud VETTER *Chosroae magni.... explicatio precum missae*, Friburgi in Br., 1880, et NERSES LAMBRONENSIS († 1198) cuius opus inscriptum est: *Contemplationes in ordines ecclesiasticos et Commentarius in mysterium oblationis* (Editum est Venetiis, 1847).

5°) In *ritu* byzantino saltem a saeculo VIII novus episcopus et novus presbyter cum suo consecratore vel ordinatore concelebrare solebant sed haec concelebratio saltem usque ad saeculum XV videtur fuisse mere caerimonialis, maxime in ordinatione sacerdotali. Sed neque certum est concelebrationis usum in omnibus ecclesiis olim viguisse.

6°) In ceteris *ritibus* orientalibus aliqualis concelebratio novi episcopi vel presbyteri cum episcopo ordinatore permitti solebat, numquam tamen plena seu sacramentalis. At neque sacramentalis erat illa concelebratio novi episcopi cum suo presbyterio quam per plura saecula in ecclesiis Aegypti et Syriae in usu fuisse constat.

(*Continuabitur*)

I. M. HANSSENS, S. I.

De aequitate in Codice Iuris Canonici (1)

Aditus quaestionis

Aiebat pulcherrime FILOMUSI GUELFI (2): « L'idea giuridica, che si formula in legge, assume una forma universale, e comanda o vieta, come regola generale, alla quale debbonsi ridurre i singoli casi, che cadono sotto il dominio della sua sfera. In questa forma uni-

(1) Conferri possunt utiliter: WARNKOENIG, *Encyclopädie*, § 39; WALTER, *Encyclopädie*, § 22; TRENDELENBURG, *Naturrecht*, § 83; LASSON, *Rechtsphilosophie*, § 25; GROTIUS, *De aequitate;* WINDSCHEID, *Pand.*, § 28; ARISTOTELES, *Ethic.*, l. 5, c. 10; S. TH., In l. V Eth., l. XVI, et I. II. q. 96 a. 6, et II. II. qq. 60. 5, 80, 120, 148; LESSIUS, l. 2, c. 47, d. 9; VERMEERSCH, *Quaest. de iustitia*, q. XI, 478 sq.; SUAREZ, *De legibus;* SCIALOIA, *Del diritto positivo e dell'equità* (Camerino 1880: cum copiosa bibliographia); MAGGIORE, *L'equità e il suo valore nel diritto,* in « Riv. internaz. di Filosofia del diritto », a. III, fasc. 33; V. DEL GIUDICE, *Privilegio, dispensa ed epicheia nel diritto canonico* (Perugia, 1926). Ceteri AA citantur in notis.

(2) *Enciclopedia giuridica*[7] (Napoli, 1917), § 28.

versale, che per necessità logica la legge deve assumere, può trovarsi il difetto, pel quale applicandosi al caso particolare essa riesca ad una ingiustizia. Il difetto della forma della legge non è colpa della legge o del legislatore, ma necessità della *legge formulata,* in quanto essa è pensiero universale e parla universalmente. Applicandosi i principî di equità, si fan valere di fronte alla *lettera,* il vero *spirito* della legge e la vera volontà del legislatore. Cosicchè l' *antitesi* tra diritto ed equità non è possibile se non nel campo del puro diritto formale, imperciocchè idealmente il giusto è identico all' equo ».

Post Codicem canonicum promulgatum eadem quaestio, quae penes civilistas proponebatur post codificationes, de antithesi inter « ius positivum » et « aequitatem », proponi potest apud canonistas: quid de aequitate in nostro systemate iuridico?

Interpretes, quod sciamus, brevissimis verbis quaestionem delibant, et tamen, ut remur, sive incumbentium iuridicis disciplinis sive practicorum valde interest claras ad rem habere notiones. Momentum ergo inquisitionis non modo theoretice maximum apparet sed etiam quoad ad usum utilissimum ex duobus: 1° ex usurpatione perpetua, quam in rebus et controversiis suis, verbi *aequitatis* facere solent homines qui, si de eiusdem aequitatis essentia et propria vocis vi interrogarentur, plerumque valde haererent dubii; 2° ex non parva obscuritate quae, ut fere fit, proficiscitur ex variis rebus quibus vox ipsa subiicitur denotandis (1).

Significat enim aequitas aliquando *iustitiam naturalem,* aliquando *ius ideale,* aliquando, hodierno more praesertim, *congruam* quampiam *moderationem,* aliquando tandem, termino apud scholasticos in usu, *epikeiam.*

---

(1) Cfr. VIAZZI, *L'equità nella filosofia e nella storia* (Milano, 1892).

Quid ergo? Arduum est inter tot tantumque dissitas sententias in quas abierunt Doctores, sententiam emittere; temeritatem agnosco mei.

Sine ulla audacia tamen, ut quid minimum humillime conferam studio Iuris Canonici, has notulas Magistrorum iudicio submittere audeo, in quibus, ad complementum alterius studii « de lacunis » (1), quaedam exponuntur ad statuendum quot et quaenam functiones « aequitatis » sint in Codice.

Notiones praeviae

Etymologice aequitas, a radice « aika », *unitatem, aequalitatem* significat (2), ideoque *iustitiam* ipsam. Analogia etymologica cum voce ἐπιεικής (=consentaneus, clemens), iuxta cl. BONFANTE (3), est errata vel saltem strictius patet, uti in recentioribus vocibus in quas a vivo latino sermone vox illa apud nos verti solet *(equità, équité, Billigkeit). Materialiter* ergo aequitas nihil aliud est nisi id quod *iustum* est.

Formaliter vero non uno sensu sumitur apud philosophos ac iuristas, nec eodem apud omnes iuristas omnium aetatum et de omnibus pariter iuribus. Hinc necessitas distinguendi tempora et systemata.

Cum *scholastici* fere unam considerarent *epikiiam* seu *epikeiam,* et *recentiores* valde ieiuni essent in hoc argomento tractando, P. VERMEERSCH hanc dat formulam de natura aequitatis (4): « *Aequitas est virtus specialis, media inter iustitiam et caritatem iustitiaeque pars potentialis, qua animus inclinat ad humanum iuris usum* ».

---

(1) D'ANGELO, *Le lacune nel vigente ordinamento giuridico-canonico,* in « Saggi su questioni canoniche con Prefazione dell' onor. Avv. Francesco Degni, Professore ordinario di diritto civile nella R. Università di Messina » (Torino, 1928), III.

(2) *Aequor* = mare, superficies...

(3) *Istit. di D. Rom.*[8] § 2; *Storia del D. R.*[3], I. p. 370; *Diritto rom.*, p. 116 Cfr. FADDA, *L'equità e il metodo nel concetto dei giurecons. romani.*

(4) *Quaestiones de iustitia,* q. XI, n. 480.

Intelligitur ergo aequitas :

a) *esse quaedam stricti iuris mitigatio,* cum haec nos doceant magistri : « Qui non nimis urget ius (suum) summum, (ἀκριβοδίκαιος) neque in deteriorem partem, sed de iure suo concedit potius, etiamsi legis auxilio niti possit, is est aequus et bonus : atque hic habitus aequitas appellatur » (1) ; « Cet mot signifie la justice exercée non pas selon la rigueur de la loi, mais avec une modération et un adoucissement raisonnables » (2) ;

b) *pertinere ad illum qui ius habet active,* ideoque attingit cum privatum subditum qui epikiia utitur in concreto, tum praesertim iudicem, immo et legislatorem ;

c) *esse affinis iustitiae et caritatis, vicinior illius quam istius,* at *recedere a perfecta ratione iustitiae.*

Audiatur MICELI (3) : « Il principio di equità non è una norma, sì bene, come dice la stessa parola, è un principio direttivo che opera sul diritto positivo, appunto perchè è fuori di esso e non può essere giuridicamente formulato ».

Et CRESPO (4), post MAGGIORE (5) : « .... l'equità come forza etica e giuridica realizza il diritto nel caso concreto specificandolo ».

Inter civilistas recentiores non defuerunt nec desunt oppositores huiusmodi elementi, quod dum alii vocaverunt « *forza ribelle* al diritto positivo e violatrice di esso » (6), alii « *sentimentalismo* », « per-

(1) ARIST., *l. c.*

(2) *Dict. de l'Acad. fr.*, v. *Équité.*

(3) *Principi di filos. del diritto,* c. VI § 128. Cfr. ID., *Sul principio di equità,* « Studi in onore di Scialoia », II, 81 sq.

(4) *L'equità e la sua funzione nel diritto,* in « Rivista internazionale di filosofia del Diritto », a. VII. fasc. IV-V, luglio-ottobre 1927, p. 422.

(5) In « *Riv. intern. di Fil. del Dir.* », a. III, 1923.

(6) Fama inclita est « Prolusio » cl. SCIALOIA, « *Del diritto positivo e dell'equità* ». Discorso inaugurale letto all'Università di Camerino, 23 nov. 1879 (Camerino, 1880), p. 16.

turbatrice dei rapporti sociali » (1), alii habuerunt « *causa dell' odierna crisi giudiziaria* » (2). Quid, post Codicem promulgatum, tradiderunt interpretes circa aequitatem canonicam? Ait FALCO (3): « L'applicazione di codesti principi generali con « equità canonica » sembra voglia significare che essa deve avvenire non in modo rigoroso, ma con benignità ed indulgenza, inspirate sopratutto al bene delle anime ». « Aequitas canonica — aiunt VERMEERSCH-CREUSEN (4) — signat istam humanitatem legislatoris canonici qua non vult esse *ἀκριβοδίκαιος*, sed benigne conatur temperare nimium rigorem et ad casus concretos prudenter aptare legalis textus severitatem ».

Dum alii fere nihil peculiare addunt (5), inter omnes accuratiorem « aequitatis canonicae » notionem tradunt cl. CAPPELLO et Prof. DEL GIUDICE, antecessor iuris canonici in Univ. Cath. Mediolanensi. Tenet enim DEL GIUDICE (6): « l' epicheia è appunto quell' aequitas canonica cui accenna il can. 20 », attamen « l'*aequitas* romana non corrisponde precisamente all' epicheia dei canonisti » (p. 48), quamvis « il concetto dell' epicheia sia, per certo senso, analogo al concetto dell' equità romana » (p. 53) et epikeia ipsa « è cosa nettamente diversa dall' equità dei moderni civilisti » (p. 48).

« Aequitas canonica de qua in can. 20 — ait CAPPELLO (7) — fere idem est ac *epikeia*. Dicimus fere, quia aequitas latius patet, nec semper et necessario

(1) RICCA-BARBERIS, *Sul diritto della guerra e del dopo-guerra* (Torino, 1926), p. 340.

(2) D'AMBROSIO, *Monismo giuridico*, (Roma, 1925), p. 72 sg.

(3) *Introduzione allo studio del « Codex Iuris Canonici »* (Torino, 1925), p. 104. In nota cit. BLAT et MAROTO.

(4) *Epitome Iuris Canonici*[3], (Romae, 1927), I. 99.

(5) Cfr. CHELODI, *Ius de personis*[2], (Tridenti, 1927), p. 121; OIETTI, *Commentarium in Codicem I. C.* (Romae, 1927), I, p. 151.

(6) *Privilegio, dispensa ed epicheia nel diritto canonico* (Perugia, 1926), p. 48 sq. passim.

(7) *Summa iuris canonici* (Romae, 1923), I, 89.

refertur ad legem: aliter epikeia »; et in nota: « Aequitas canonica non congruit cum aequitate secundum ius romanum et modernos iuristas ».

Summa cum reverentia erga tantos Magistros haec ad rem retinenda puto: - 1) in Codice vox ipsa « aequitas » non univoce adhibetur; mentio fit enim in can. 192, § 3 « *aequitatis naturalis* », in can. 20 « *aequitatis canonicae* »; - 2) dum « aequitas naturalis », de qua implicite in aliis locis seu canonibus, est elementum subiectivum *correctivum* iuris, congruens cum aequitate iuxta modernos iuristas habensque vim creativam, - 3) « aequitas canonica » habet peculiarem functionem obiectivam in systemate et respondet notioni aequitatis romanae non classicae sed iustinianae; - 4) utraque vero nullo modo haberi potest ut vera epikeia.

Aequitas in Codice.

Perperam quis in *Indice analytico alphabetico* requireret vocem « *aequitas* »; attamen ex lectura Codicis clare res apparebit: pluribus enim in locis et crebris sermonibus hoc elementum usurpatur.

Explicita mentio invenitur in c. 192 § 3: « *Si de amovibili* (officio), *privatio decerni ab Ordinario potest ex qualibet iusta causa, prudenti eius arbitrio, etiam citra delictum,* **naturali aequitate servata,** *sed certum procedendi modum,* etc. ». Implicite ad hunc referuntur can. 2193: « *Prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur suspensionis causam....,* **pastorali** *tamen* **adhibita sollicitudine** *et* **caritate...** »; — can. 2214 § 2: « *Meminerint Episcopi... illos* (subditos) *tamquam* **filios** *et* **fratres** *diligant..... increpent in omni* **bonitate.....** *cum* **lenitate** *severitas..... sine* **asperitate....** etc. »; — can. 2218 § 1: « *In poenis decernendis servetur* **aequa** *proportio cum delicto....* »; — c. 2223 §§ 2-3: «... *poenam*

temperare.... » ; — c. 2224 § 2 : «.... *intra aequos terminos* **moderari...** » ; — c. 2241 § 2 : « *Censurae... ne infligantur, nisi* **sobrie et magna cum circumspectione** » ; — c. 2303 § 2 : «... *si clericus vere indigeat, Ordinarius pro sua* **caritate,** *quo meliore modo fieri potest....* ». His omnibus in locis elementum aequitativum sub diverso omnino modo concipitur atque in can. 20 : « *Si certa de re desit... praescriptum legis... norma sumenda est :... a generalibus iuris principiis* **cum aequitate canonica** *servatis.....* ».

Si comparatio instituatur inter can. 20 et can. 192 § 3 statim discrimen apparet : *grammaticaliter,* dum in can. 192 § 3 et in ceteris canonibus constructio talis est ut certissime indicet *modalitatem* quandam intensivam vel extensivam ; utitur enim Legislator casu simpliciter ablativo, vel particula *cum* interposita (can. 2241 § 2), in canone 20 e converso utitur particula *cum* ad comitatum significandum (= una simul).

Peculiaritas constructionis in textu et contextu (can. 18) certum momentum interpretativum habet : deducitur enim *logice* hic agi de elemento quodam obiectivo quod additum concipitur « generalibus iuris principiis », ad quae se refert vox « servatis ». Haec eadem vox « servata » currit pariter in cit. can. 192 § 3, ast quis non videt differentiam ? « naturali aequitate servata » (*servata* se refert ad naturalem aequitatem) est modalitas subiectiva, relicta nempe « prudenti arbitrio » Ordinarii seu iudicis. « Servare », docente FORCELLINI, vertitur italice *conservare* vel *salvare :* in can. 20 est *conservare,* in 192 § 3 *salvare ;* ideoque illic obiective, hic subiective sumitur.

Ergo et *iuridice* valde interest inter « *aequitatem canonicam* » (can. 20), et " *aequitatem naturalem* „ (can. 192 § 3), ad quam implicite reducuntur ceterae expressiones.

Aequitas naturalis.

Ante Codicem AA. distinguebant duplicem speciem aequitatis (1): « duplex existit aequum — aiebat cl. WERNZ, I. 48 — scil. aequum *naturale* et *legale*. Aequum naturale idem plane est atque iustum naturale. Quo sensu vel ipsa iura civilia saepe loquuntur de aequitate naturali: *Neque enim inaudita causa quemquam damnari aequitatis ratio patitur* (2). Aequitas hoc modo intellecta non est emendatio iuris, sed potius regula ipsius iuxta l. 90 D. 50, 17: *In omnibus quidem, maxime tamen in iure aequitas spectanda est.*

« Aequum vero *legale* dicitur prudens moderatio legis scriptae (3) praeter rigorem verborum illius atque ita opponitur stricto iuri ».

Quaeri potest utrum hodie iuridice, in systemate Codicis, duplex ista species aequitatis adhuc existat: et negativa responsio amplectenda videtur (4).

Re quidem vera omnes citati canones, canonem 20 si excipias, sub uno eodemque aspectu exhibent, ut subiectivum elementum « prudentiae », « paternitatis », « sobrietatis, « circumspectionis », « pastoralis sollicitudinis et caritatis » ab Ordinario prae oculis habendum, unam speciem aequitatis, quae in can. 192 § 3 appellatur " *naturalis aequitas* „.

Huiusmodi aequitas definiri solet: « *iustitia ecclesiastica perfectior quae, intuitu boni spiritualis, com-*

---

(1) Non loquimur de ceteris divisionibus: — a) *in suo esse*: realis vel cerebrina; transcendentalis vel ordinaria; moralis vel iuridica; legalis, distributiva vel commutativa; legislativa, iudiciaria vel executiva; correctiva vel suppletiva; — b) *quoad fontes*: architectonica (= suprema) vel subalterna; naturalis (= condenda) vel constituta (= condita); interpretativa vel epikeietica; consuetudinaria, doctrinalis, legislativa vel iurisprudentialis; — c) *ratione historiae*: biblica, apostolica, patristica, conciliaris vel scholastica; universalis vel particularis; antiqua, primitiva, medio-aevalis, moderna vel hodierna.

(2) MARCIANUS in l. 1 D. 48,17.

(3) L. 2. 5 D. 39, 3, in materia « aquarum », ubi multae interpolationes.

(4) *Iuridice* dicebamus, nam *theologice* inter aequum legale et aequum naturale differentia semper adest.

munis vel privati, stricta fidelium iura suaviter mitigat in casibus concretis ».

At, cum deesse non debeat « notio iustitiae », quae certo quodam modo initium iuris quoad usum constituit, in ipso Codice habentur casus in quibus aequitas concipitur, non ut « emollitio stricti iuris » ad eiusdem rigores suaviter temperandos, sed potius ut oppressio et durius onus. Cfr. e. g. can. 2221 : «.... *congrua poena munire aut poenam lege statutam* **aggravare** » et can. 2222 (1).

Criterium relinquitur iudici, qui tamen prae oculis habeat illud FABBRI (2): « Nihil periculosius dici potest et perniciosius, quam si iudici cuilibet liceat aequitatem pro arbitrio sibi fingere et legibus illudere praetextu huius aequitatis, quam ideo non male cerebrinam quidam vocarunt ».

Haec aequitas, iuridica in suo esse, appellatur uno verbo *naturalis* quia condenda a iudice ; est ergo elementum personale correctivum iuris, iam existentis, et eius vis est *creativa ;* suggerit enim normam, leviorem vel graviorem, applicandam in casibus concretis. " *Haec aequitas suggerit, etsi iure deficiamur* » (l. 2. 5 D. 39. 3).

Sub hoc aspectu, mentionem huius potestatis iudicis ecclesiastici omnino necessariam esse putamus ideoque vere et proprie aequitas naturalis melius definiretur : « *elementum correctivum iuris quo iudex ecclesiasticus, intuitu boni spiritualis, communis vel privati, iustitiam, mitigando vel aggravando existentes normas, in casibus concretis applicat* ».

En ergo eius *elementa :* — 1) *existentia* normae applicandae in casu concreto, in quo differt ab aequitate canonica ; — 2) *necessitas* correctionis iuris in ea

(1) Cfr. D'ANGELO, *Nozione del delitto nel Codice di D. Can.*, in « Saggi » cit., V.

(2) *Iurisprudentiae Papinianeae scientia*, t. I, p. II, il II.

applicanda: non agitur enim de theoretica interpretatione legis; — 3) nihil interest an in sua *summa* sit aggravans, quod raro accidit, vel suaviter mitigans, ut saepius accidit.

Potestas *creativa* (= functio creatrix), quam in iudice recognovit iam ARISTOTELES (1), quamque Imperatores Romani sibi usurpavere, in vigentibus legislationibus non admittitur; hinc organa specifica aequitatis omnino desunt et, in praxi, ut iudex aequitatem applicare possit, requiritur explicita mentio in Codicibus (2).

Post civiles codificationes, ope praesertim GENY, SALEILLES et LAMBERT in Gallia, EHRLICH et GNAEI FLAVII in Germania (3) necnon plurimorum civilistarum recentiorum in omnibus nationibus, introduci coepit nova quaedam doctrina, « *iuris liberi* » appellata, quae, maximi faciens elementum aequitatis, applicandae in concreto ad arbitrium iudicis, huic recognoscit potestatem quandam creativam.

Inter scriptores quidam novae scholae sunt favorabiles (4), contrarii plures (5); nostrum hic aliud non est nisi hoc unum educere: aequitas naturalis, in sensu legali seu iuridico, sub quodam aspectu, in quantum nempe est elementum correctivum iuris cum efficacia

---

(1) Cfr. DEL VECCHIO, Sui *principi generali del diritto*; Prolusione a corso di Filosofia del diritto nella R. Univ. di Roma, letta il 13 dic. 1910. Estratto da « Archivio Giuridico », p. 12.

(2) Etiam in Anglia a. 1873 abolita est differentia inter *Courts of Law* et *Courts of Equity*. Casus applicationis aequitatis in Codice Germanico sunt plures, in Italico pauci; in Helvetico per art. 4 habetur norma generalis, dum per art. 1 conceditur iudici latissima facultas quasi legislativa in casibus lege non praevisis. Cfr. IENKS, *A short History of english Law*, p. 210 sq.; BRYCE, *Studies in History and Iurisprudence*, II, p. 143 sq.; HANNIS TAYLOR, *Science of Iurisprudence*, p. 296, 297, 508, 509; PACCHIONI, *Elem. di Dir. civile*, p. 11.

(3) Cfr. VADALÀ PAPALE, *Relazione*, in « Atti del Congresso giuridico » di Palermo (1903), I, p. 127; COVIELLO, *Dei moderni metodi d'interpretazione della legge* (S. M.a C. V., 1908), p. 6.

(4) Cfr. FILOMUSI-GUELFI, *Enciclopedia giuridica*[7], p. 94 sg.; PACCHIONI, *Elementi di Dir. civile* (Torino, 1916), p. 10 sg.

(5) Cfr. pro omnibus SCIALOIA, *Op. cit.*

creativa, congruit cum aequitate iuxta recentiores civilistas.

Nil mirandum; societas ecclesiastica conservat enim " *vim unitariam* „, qua Episcopi sunt pariter legislatores et iudices.

Optime ergo, iuxta suum scientificum atque acutissimum morem, ait DEL GIUDICE (1): « Interpretazione della norma... e applicazione equitativa di essa sono... nel diritto canonico, attività qualitativamente diverse ».

Aequitas canonica

Huius aequitatis semel mentionem habet Codex in uno canone 20, ut vidimus, in quo adhibetur ad designandam peculiarem speciem aequitatis, omnino diversam a praecedenti; respondet enim ista aequitas aequitati romanae aetatis iustinianae.

Quid sit aequitas in Iure Romano classico, omnes sciunt: « est vis quaedam realistica » ope Praetoris, aliquid « retribuentis » in concreto per suum imperium, in conflictu inter « ius et aequum » (2). Utrum vero aequitas aetatis iustinianae una eademque sit et permaneat in summa (= contenuto) ac functione ut erat in aetate classica, an potius *alia* totaliter facta sit sub influxu christianae Religionis, quaestio est inter interpretes.

Iam saepe admisimus (3) et hodie vel magis admittimus cum cl. RICCOBONO, cui crudeliter opponitur BAVIERA (4), sub influxu Religionis aequitatem

(1) *Op. cit.*, p. 50.

(2) Cfr. BONFANTE, *Ist. di D. R.*[8], § 2, et *Storia del D. R.*[3], I, p. 370; FADDA, L'*equità e il metodo nel concetto dei giureconsulti rom.* (Macerata, 1881).

(3) Il *Cristianesimo e Dir. Rom.* in « Saggi » cit., I.

(4) RICCOBONO, *Cristianesimo e diritto privato*, in « Riv. di Dir. Civ. », a. III (1911), p. 37 sq.; BAVIERA, *Concetti e limiti dell'influenza del Cristianesimo sul D. R.*, estr. da « Mélanges P. F. Girard » (Paris, 1912). Accedit hodie sententiae Riccobono cl. BONFANTE, *L'equità*, in « Notiziario del lavoro », a. II (1923).

iustinianam aliam toto et coelo diversam fuisse ab aequitate classica.

Methodo enim non modo comparativa cum fontibus Religionis (S. Scriptura ; Patristica) sed etiam, et maxime, exegetica (= per examen interpolationum) ad hanc apodicticam conclusionem pervenitur : particulae *sed melius est, magis est, benignius, mitius, iustius, tutius, humanius, commodius, aequius, etc.*, quae in pluribus fragmentis classicis a codificatoribus studio inveniuntur additae ad designandam « aequitatem », quam « humanitatem », « pietatem », « benignitatem », imo et « caritatem », nunc saepe appellant (1), clarissime demonstrant notionem subiisse radicalem mutationem sub influxu « mandati novi » scil. caritatis quae iure meritoque « plenitudo legis » ab Apostolo nuncupatur.

Est haec aequitas, illa norma *obiectiva*, par pro omnibus, quae faciem terrae mutat, ab alto procedens. Ipsa *terminologia* biblica et patristica hoc idem suadet (2).

Ni fallimur, haec norma obiectiva (= condita), cum vi suppletiva, *caritas* nempe, sal ad omnia necessarium, *pietas*, « ad omnia utilis », *humanitas*, « quae consortem adiuvet..... subveniendo » est nihil aliud nisi « aequitas canonica » quae Ius Romanum, a cuius principiis generalibus, deficiente analogia, in lacunis sumendum est praescriptum, christianum reddidit. Est ergo « ae-

---

(1) Cfr. e. g. ll. 2. 5 D. 39. 3 ; 12. 1 D. 7. 8 ; 173 D. 50. 17 ; 14. 1 et 22 D. 34. 1, etc. etc.

(2) Cfr. D' ANGELO, *Crist. e D. R.*, « Terminologia biblica », « Paolo di Tarso e il D. R. », « Patristica e D. R. », in « Saggi » cit. *Exemplo* sint :

a) **Ex S. Scriptura** (cfr. Huré, *Dict. de Philologie)* : Iob., III 23. 7 ; *Ps.* 16. 3 et 118. 75-144-172 ; *Sap.*, XII. 22 ; *Prov.*, 1. 3 ; 2 *Mac.*, 8. 30 ; *Lev.*, 24. 22 ; *Eul.*, 7. 17 ; *Prov.*, 30. 33, etc. etc. Ulterius. *Mt.* 18. 23-35 ; *Lc.* 12. 54-59 ; 15. 31-32 etc. *Rom.* 6. 19 et 9. 28 ; *I Pet.*, 1. 2 et 2. 23 ; *I Cor.* 6. 12, etc.

b) **Ex Patribus** cfr. LACTANTIUS, *Div. Inst.*, V. c. 15 ; S. AUGUST., *De civ. Dei*, XII. 22-23 ; *De lib. arb.*, I, 6 ; Cfr. etiam S. AMBROS., *De off.* 3. 3. 16 ; PANORMITANUS in c. ult. « De Transact. » n. 6 ; LEGA, *De iudiciis*, l. 5.

quitas canonica » elementum specificum illud quod dat *esse peculiare* normae desumptae a **principiis cum ea** *servatis*. Hoc deducimus sive ex verbis BENEDICTI XV in Const. *Providentissima:* « Neque enim solum barbararum gentium leges curavit Ecclesia abrogandas ferosque earum mores ad **humanitatem** informandos, sed ipsum quoque Romanorum ius, insigne veteris sapientiae monumentum, quod *ratio scripta* est merito nuncupatum, **temperavit** correctumque **christiane** perfecit.... ».

Agitur semper de *temperamento,* ut in aequitate naturali (cfr. can. 2223 §§ 2-3), ac de *caritate* (cfr. can. 2303 § 2), sed sub diversa ratione: non subiective sumptis, ut in naturali aequitate, ast obiective. Duae notiones ergo non quantitative sed qualitative differunt inter se.

Est huiusmodi haec ipsa « qualitas » (« aequitas canonica ») quae in sua moderatione mutavit *ius commune* in genuine canonicum (1), atque in sua applicatione permittit hodie recursum ad principia generalia iuris, quaeque reddit *vita* praeditum, in omni tempore et loco, **" Ius nostrum „**, *Romanum-Christianum* inter tendentias « certitudinis » et « exigentiarum » (2).

Epikeia

Epikeia (epiikia = ἐπιείκεια) etymologice idem est atque aequitas: imo promiscue non raro utraque vox a canonistis adhibetur (3).

Cl. D'ANNIBALE (4) eam appellat « aequitatis speciem », et omnes unanimiter docent agi de investiganda

---

(1) Le leggi del *diritto comune*, moderate secondo il *diritto canonico*..... continueranno ecc.»: **Regolamento legislativo** per gli Stati Pontifici di Gregorio XVI, § 1.

(2) Cfr. SCIALOIA, *Influenza dell' Italia sul diritto all' estero.*

(3) Cfr. DEL GIUDICE, *Privilegio* ecc., p. 48.

(4) I. p. 180.

mente legislatoris. Sub hoc aspectu eius applicatio exceptionaliter tantummodo locum habere potest apud *privatos,* vi can. 18.

Censemus veram esse sententiam cl. SCHERER (1): « *epikeiam ius non agnoscit* », praesertim hodie post Codicem promulgatum in quo nulla invenitur mentio istius figurae aequitatis.

Non est ergo epikeia confundenda cum interpretatione vera et propria (2), quae per se tangit « sensus in lege contenti explicationem », nec cum dispensatione (3), quae est relaxatio legis ; habenda potius est epikeia figura quaedam, forum internum non excedens (4) in effectibus, ideoque figura *non* stricte *iuridica,* qua privatus, contra legis verba etiam clara, sed secundum *mentem* legislatoris (= voluntatem legislatoris viventem in lege), prudenter *se eximit* e legis ipsius dispositione (5).

Esset ex illis causis *eximentibus* (extrahentibus), quas iure meritoque cl. DEL GIUDICE refert ad notionem legis *singularis,* peculiarissima forma verae ac propriae « *exceptionis ab obligatione legis* », quae, ut adnotat idem A., includat necesse est ideam violationis *vi intrinseca* subiecti (6).

Ni fallimur ergo nec aequitas naturalis nec aequitas canonica ullo modo confundi potest cum epikeia (7); illae constituunt elementum *iuridicum,* haec elementum constituit tantummodo *ethicum* seu morale, et, cum species sit aequitatis, appellari solet « aequitas epikeietica ». Haec, in exceptionali processu interpretativo de

(1) I, § 40.
(2) Cfr. CAPPELLO, *Op. cit.*, n. 89; MAROTO, 241.
(3) Cfr. OIETTI, *Op. cit.*, p. 326; BRYS, *De dispensatione in iure canon.*
(4) Cf. D'ANNIBALE in MAROTO, 242.
(5) VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*[3], I, 97.
(6) *Promulgazione e obbligatorietà della legge canonica,* (Milano 1927), p. 21.
(7) Cfr. hodie etiam VAN HOVE, in « Ephemerides Theol. Lovanienses », a. IV, f. 4, mense Octobri 1927, p. 678.

« *mente legislatoris* » (can. 18), naturam actionis privatae, quoad moralitatem actus tantum et sine ullo effectu iuridico, non excedit.

Conclusiones

Sit mihi benevola venia si, summa quidem cum reverentia erga Doctores qui contrarias sententias tenuerunt, audeam, salvis melioribus Interpretum iudiciis, ex praedictis has desumere conclusiones:

1ª in Codice I. C. sermo est de duplici specie aequitatis: « naturalis » et « canonicae »; utraque vero *iuridica* et *interpretativa;*

2ª " *aequitas naturalis* „ (= condenda) est elementum subiectivum et correctivum iuris (unde vis *creativa*), non cerebrimum; ordinario tendit ad *suavem* mitigationem (= temperamentum) in casibus concretis.

3ª " *aequitas canonica* „ (= condita), est elementum obiectivum et suppletivum; attingit directe « normam ipsam » temperandam, non, ut aequitas naturalis, personas in quas, leniendo ius existens, mitigatio in concreto dirigitur;

4ª " *epikeia* „ ab utraque specifice differt, cum ista constituat elementum non iuridicum sed tantummodo *morale* quod *epikeieticum* nuncupatur; nec exceptionalis functio interpretativa in casu cohaeret cum requisitis verae ac propriae interpretationis, in quo omnes conveniunt.

Romae, postr. Kal. dec., 1927.

Sac. Sosius d' Angelo.
Prof. Un. S. Apollinaris.

Consultatio iuridico-moralis.

Interrogatio. Titius, dominus latifundii, varias partes suorum camporum variis ruricolis locavit. Singulis partibus ea, in contractu, area agnoscebatur quae in publica possessionum descriptione (in tabulis quae vocantur *catasto, cadastre*) iisdem tribuebatur.

Unus autem e conductoribus, com voluisset ipse prati a se conducti amplitudinem metiri, hanc repperit bis centum metris quadratis minorem quam in pactione indicabatur.

Hinc Titius dubitare coepit:

1. Utrum contractus locati-conducti sit validus, an infirmus propter errorem;

2. Utrum auctori mensionis pretium imminuere debeat, an promissum pactione pretium, non obstante errore, exigere possit;

3. Utrum pretium ab aliis conductoribus promissum tuta conscientia petere possit, an debeat ipse apto aliquo modo inquirere de vera amplitudine agrorum quos locavit.

Responsio. I. **De iure positivo.** Consulendus est civilis Codex regni Italiae. art. 1614. Is si, in contractu locati-conducti, area de qua in contractu maior vel minor aestimata fuerit quam re vera erat, scite se refert ad analogum contractum empti-venditi, qui regitur art. 1473-1480, ita at normas locationis et normas venditionis, perfecte in hac re aequiperandas statuat.

Age porro, de venditione (et proinde de locatione), articuli 1473. 1474 et art. 1475. 1476 binos contemplantur casus: casum venditionis ad *mensuram* et casum venditionis *ad corpus*. In venditione ad mensuram, venditio fit tanti pro singulis mensuris, et partes intendunt ut pretium accurate ad modum agri aptetur, ita ut possit esse incertum initio, et debeat ipsa men-

sione definiri; in altero casu, ager totus simul emitur; ipse autem ager, quisnam sit, alio ac mensions modo, v. g. positis limitibus de finitur. Neque praetereundum est, in ipsa venditione ad corpus, fieri posse ut indicetur quot metris constet, et pretium ad illam demonstrationem referatur. Etenim, si pretium est certum, et modus agri solita tantum ratione indicetur, i. e. ex obiter facta aestimatione, vel tamquam modus agrum ab aliis distinguendi, vel in alium quempiam finem, etiam tunc ad corpus et non ad quantitatem venditio facta censetur.

Quocirca, ut cognoscamus utrum uti debeamus art. 1473. 1474, an 1475. 1476, tum usus locorum tum intentionem paciscentium observare debemus.

Per se, nisi ista investigatione aliud demonstretur, locatio, in praesenti casu *ad corpus* facta videtur, quia vulgo notum est publicas possessionum descriptiones minime esse ad amussim factas seu infallibiles. Itaque si nulla a partibus addita fuerit clausula qua pretium accuratiori indagationi subiciebatur, satis constare videtur eas, ut fert usus, de pretio secundum plus vel minus accuratas mensiones convenisse. Quare locus videtur esse articulis 1475. 1476, et proprie priori, secundum quem, conductori, salva contraria stipulatione, ius conceditur obtinendi ut pretium pro rata imminuatur, si modus fundi locati plus quam vigesima parte haereat infra magnitudinem in pactione indicatam. Proportio igitur haec attendenda erit: si tanta fuerit, pretium minuendum erit; si non tanta, pretium solvendum est quod pactione definitum est.

Valet autem in hac re, etiam art. 1478, secundum quem huiusmodi ius conductoris intra annum tantum à celebrato contractu exerceri potest. Namque ut art. 1614 monemur, etiam ad locationes agrorum transferendae sunt regulae de spatio temporis per quod contra pactionem venditionis agi potest.

II. **De foro conscientiae.** Omissa nunc quaestione de utili tempore ad agendum, non aliter quam in foro civili, in foro conscientiae responderi posse videtur. Excipe tamen casum ubi *positive* constet a conductore ignoratum fuisse publicas possessionum descripitiones ut plurimum esse incertas vel conductorem a locatore aliqua ratione deceptum esse.

Etenim, si usus habet ut publicae descriptiones sumantur tantum *demonstrative* non autem *taxative* (ut rigorosae), ipsa mensio essentiam contractus non ingreditur. Uterque paciscentium pari ratione in aleam eunt parum accuratae aestimationis, neuter autem alteri nocet, percipiendo lucrum aliquanto maius quam accurata mensio ipsi dedisset. Re vera nec locator illicite ditescit, si pretium vel canon (quae non fuere ad mensuram definita) superent quod ipsi solvendum esset si condicio metiendi apposita fuisset; nec conductor illicite aliquod lucratur, si ager tali pretio conductus reperiatur paulo amplior quam in pactione demonstrabatur. Ad summam, considerata mente contrahentium, tunc, cum facta est pactio, mensio non fuit elementum decretorium, nec potest subinde, sive *iuridice* sive *moraliter*, tale, sine nova causa evadere.

Et sic tribus quaesitis satisfactum esse arbitramur.

Avv. V. del Giudice
Prof. Universitatis catholicae Mediolanensis

Quaestio canonica

de iure accusandi matrimonium.

Summarium : I. Status quaestionis eiusque momentum. — II. An et quomodo remedium afferendum. — III. Utrum vocabulum " *impedimentum* „, de quo in can. 1971 § 1, 1°, lato an stricto sensu accipiendum sit. — IV. An iure accusandi matrimonium gaudeat coniux qui, ex. gr., metum comparti intulit aut erroris substantialis causa fuit. — V. An habilis sit ad accusandum matrimonium, qui conditionem contra eius substantiam apposuerit. — V. Conclusio.

I.

Status quaestionis eiusque momentum.

1. Fatendum est, idque vehementi animi tristitia, numerum causarum matrimonialium ex capite vis et metus, simulati consensus et conditionis contra substantiam matrimonii, de die in diem augeri. Quod non modo accidere videtur ex humana fragilitate atque ex impia et numquam satis improbanda lege divortii civilis, in quibusdam nationibus lata, verum etiam ex tribunalium ecclesiasticorum sententiis, quibus res pervulgatur viaque sternitur ad nullitatis declarationem obtinendam.

Qua rerum conditione, infausta sane at verissima, complures Episcopi vehementer anguntur, atque opportunum et efficax remedium postulant.

2. Can. 1971 § 1, 1° dicit: « Habiles ad accusandum sunt: Coniuges in omnibus causis separationis et nullitatis, *nisi ipsi fuerint impedimenti causa* ».

Vocabulum « *impedimentum* » duplici sensu accipi potest: *proprio* seu *stricto,* et *lato* sive *minus proprio.* Ita hodie, attento iure Codicis, qui eas tantum circumstantias habet qua impedimenta stricte dicta quae

directe et *immediate* ipsam *personam* contrahentium afficiunt, quatenus eandem inhabilem reddunt ad contrahendum.

Ante Codicem, contra, impedimenta in tres classes dividebantur : ex parte *formae,* ex parte *personae* et ex parte *consensus.* Unde, in antiqua disciplina, etiam vis et metus, error, conditio, clandestinitas, inter impedimenta matrimonialia proprie dicta recenseri solebant. Codex nonnisi circumstantias *ex parte personae,* qua impedimenta stricte dicta agnoscit, non vero eas quae aut *formam* aut *consensum* respiciunt.

3. Hinc ratio dubitandi et status quaestionis de qua agimus. Quaeritur nempe utrum verbum « *impedimenti* » can. 1971 § 1, 1° intelligendum sit sensu lato de quibuscumque impedimentis matrimonium dirimentibus, i. e. non tantum de omnibus impedimentis quae enumerantur in canonibus 1067-1080, in capite *de impedimentis dirimentibus,* verum etiam de vitiis consensus, ex. gr. de errore substantiali, de metu gravi et iniusto, de simulatione, etc., secundum canones 1081-1093, in capite *de consensu matrimoniali.*

Quaedam tribunalia ecclesiastica vocabulum « *impedimenti* », de quo in can. 1971 § 1, 1°, sensu stricto acceperunt, ita ut habilem ad accusandum matrimonium habuerint coniugem qui comparti causa fuerat erroris substantialis, qui metum iniustum incusserat, qui conditionem contra substantiam matrimonii apposuerat, etc. Quod fere inauditum aliis visum est, perspecto iure antiquo ipsisque attentis iustitiae et moralitatis principiis. Neminem effugit momentum maximum quaestionis huiusmodi, ad praxim quod attinet.

II.

An et quomodo remedium afferendum.

1. Lugendae rerum conditioni superius memoratae (I, 1) profecto consulendum est : id morum honestas,

matrimonii indissolubilitas, familiarum pax, iuris divini et ecclesiastici sanctitas exigunt omnino. Verum, dum omnes ultro admittunt remedium aliquod esse afferendum, circa modum et rationem eiusdem valde inter se discrepant.

2. Nonnulli censent, in causis nullitatis matrimonii ex capite vis et metus, erroris substantialis, simulati consensus et conditionis non impletae, rem facile componi, quatenus ius matrimonium accusandi tribuatur tantum *uni* coniugi, i. e. parti *innocenti*, quae vim seu metum passa est vel damnum atque iniuriam ex dolo aut fraude subiit. Quod spectat vero ad causam nullitatis ex capite conditionis contra substantiam matrimonii appositae, existimant coniugem qui huiusmodi conditionem contractui matrimoniali apposuit, habilem esse ad matrimonium accusandum.

Alii, ubi agitur de tali conditione, optant ut positiva lege statuatur praesumptio *iuris* et *de iure*, qua omnes conditiones contrariae substantiae matrimonii censeantur purgatae post cohabitationem sex mensium vel unius anni aut saltem aliquot annorum. Vis atque efficacia istius praesumptionis ea esset ut, elapso termino, lis de nullitate amplius moveri non posset. Ita, ex. gr. ante reformationem factam a Leone XIII, copula carnalis inter sponsos de futuro inducebat praesumptionem iuris et de iure affectus coniugalis quo, de se, perficeretur matrimonium.

Sedulo tamen notandum, consensum matrimonialem nulla humana potestate suppleri posse (can. 1081, § 1). Proinde, si consensus naturaliter validus desit, matrimonium nullum atque irritum est. At potestas ecclesiastica statuere valet ut consensus naturaliter validus non sit sufficiens nisi determinata forma manifestetur, simulque efficere potest ut consensus naturaliter validus sit quoque iuridice sufficiens, uti locum habet in sanatione matrimonii in radice (cfr. c. 1138 ss.).

Alii dicunt, ex praescripto can. 1971 § 1, 1°, facultatem agendi nullatenus competere coniugi qui conditionem substantiae matrimonii contrariam apposuerit, ita ut iam in limine litis eiusdem actio repellenda sit. Quod iure meritoque dictum erit, si constiterit vocabulum " *impedimentum* „ sensu lato esse accipiendum.

III.

Utrum vocabulum « *impedimentum* », de quo in can. 1971 § 1, 1°, lato an stricto sensu accipiendum sit.

1. Indubitanter tenemus hanc vocem intelligendam esse sensu *lato,* non autem stricto. Ita passim sentiunt Codicis commentatores. De Smet (1) ait: « Ad normam can. 1971 § 1, habiles ad accusandum sunt coniuges, in omnibus causis nullitatis, nisi in quantum ipsi fuerint impedimenti causa. Etiam in casu nullitatis *ob defectum consensus,* pars quae fuerit nullitatis causa *ab accusando matrimonio excluditur* ».

Chelodi (2) dicit: « Coniuges soli agere possunt: in causis separationis, nullitatis ob impotentiam occultam, errorem, vim et metum, conditionem, simulatum consensum..... Si autem unus causa fuit erroris, metus aut non impletae conditionis, *ab accusatione repellitur* ».

Wernz-Vidal (3): « Si unus ex coniugibus causa fuit erroris, metus vel non impletae conditionis, *ab accusatione repellitur,* ne ex sua fraude commodum reportet (can. 1971, § 1) ».

Vermeersch-Creusen (4): « Quare accusare matrimonium non potest qui comparti fuit causa erroris substantialis, qui metum iniustum incussit.... ».

(1) *De sponsalibus et matrimonio,* n. 703, ed. 4.a.
(2) *Ius matrimoniale iuxta Codicem iuris canonici,* n. 176.
(3) *Ius matrimoniale,* n. 698.
(4) *Epitome iuris canonici,* III, n. 286.

Idem VERMEERSCH haec habet: « Potest etiam vi c. 1971 § 1, 1°, facultas agendi negari coniugi qui fuerit impedimenti causa, i. e. qui condicionem substantiae matrimonii contrariam apposuerit » (1).

PRÜMMER (2): « Matrimonium accusare possunt coniuges in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint causa impedimenti. Paucorum autem *impedimentorum* causae sunt coniuges, ex. gr. *impedimenta defectus consensus* ».

NOVAL (3): « *Impedimenti:* quod quidem verbum heic significat non praecise aliquod ex impedimentis matrimonii, sed quemlibet actum vel quamvis rem quae impediverint *a*) coniugale consortium, sive praebendo iustam causam ut illius dissolutio petatur, sive illud propria auctoritate dissolvendo; *b*) vel validitatem contractus matrimonialis, v. g. ingerendo errorem substantialem (can. 1083), incutiendo vim aut metum (can. 1087)... ».

2. Ratio propter quam is qui causa fuit impedimenti stricte dicti, ex gr. criminis vel raptus, iure accusandi matrimonium caret, haec est: *ne ex sua culpa commodum percipiat.* Porro huiusmodi ratio existit quoque, interdum validior, in casu impedimenti late sumpti. Scimus autem ex praescripto can. 18 leges ecclesiasticas intelligendas esse secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam, quae si dubia et obscura manserit, recurrendum esse *ad legis finem* et *ad mentem legislatoris*, iuxta notissimam regulam: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse iuris dispositio* (4). Quod iure in casu dictum censemus, licet ultro admittamus nonnisi

---

(1) *Periodica*, 1927, p. 105*.
(2) *Manuale iuris ecclesiastici*, q, 539, ed. alt. post Codicem.
(3) *Commentarium Codicis iuris canonici.* Pars I. *De iudiciis*, n. 850.
(4) Cfr. SUAREZ, *De legibus*, lib. VI, cap. 1, n. 17 ss.

caute ex *ratione* legis interpretationem eiusdem petendam esse (1).

3. Nisi vox « *impedimenti* » late accipienda foret, sponte consequerentur minus rationabiles et fere inauditae conclusiones, quatenus legislator nullatenus consuluisse videretur coniugii sanctitati, nupturientium libertati, etc. Quod profecto in eiusdem legislatoris dedecus atque gravamen cederet: idcirco *a priori* negandum. Huc, addimus, spectat regula a Paulo iurisconsulto tradita: *Minime sunt mutanda quae interpretationem certam semper habuerunt.*

IV.

An iure accusandi matrimonium gaudeat coniux qui, ex., gr., metum comparti intulit aut erroris substantialis causa fuit.

1. Responsio negativa ex dictis certa est. Sane metus et error inter impedimenta matrimonialia late dicta adnumerantur; atqui ex can. 1971 § 1, 1° coniuges qui fuerint causa impedimenti, sive stricte sive late sumpti, habiles non sunt ad matrimonium accusandum. Ergo.

2. Ante Codicem sollemne erat principium, iurisprudentia iampridem firmatum, ius coniugium accusandi competere *innocenti* tantum, non autem reo.

PIRHING (2) ait: « Si accusetur matrimonium, sive contra illud agatur tamquam illegitime contractum, sive agatur ad separationem thori... admittitur ad accusandum *solum coniux innocens* ».

SCHMALZGRUEBER (3) docet: « Abbas *ad rubr. hoc tit.* ..... Gonzal. *in cap. fin. eod. n. 3,* Honor. *hic. n. 12,*

(1) D'ANNIBALE, *Summula theol. mor.* I, n. 188; WERNZ, *Ius Decretalium,* I, n. 131, not. 189.

(2) Lib. IV, tit. 18, n. 1.

(3) Lib. IV, tit. 18, n. 13.

Pirhing *n. 1.* Schambog. *n. 2, cum communi aliorum* ad agendum..... admittunt solum *innocentem* ». Dein addit: « Idem dicendum, si impedimentum, ex quo ad matrimonii, tamquam invalide contracti, dissolutionem agitur, sit *error* circa individuum personae, aut eius condicionem, vel *metus* » (l. c. n. 15).

Instructio S. Officii, 20 iun. 1883, n. 35, haec habet: « Circa impedimentum quod vis et metus dicitur, ante omnia advertendum occurrit, *neminem a iure admitti ad matrimonium* ex hoc capite *impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur* ».

Wernz (1) dicit: « Ius accusandi matrimonium (cui obstat impedimentum vis et metus) ex iure *communi* solummodo illi coniugi competit, cui per gravem et iniustam vim consensus matrimonialis extortus est, non alteri coniugi ».

Idem Wernz (l. c. n. 232) de iure accusandi matrimonium nullum ob errorem, haec tradit: « Impedimentum erroris est impedimentum iuris privati in favorem *errantis partis* constitutum. Hinc ex iure *communi* is *tantum* coniux matrimonium accusare et nullitatis declarationem postulare potest, qui de persona alterius erravit; at saltem *ex indulto apostolico* etiam alter coniux potest obtinere ius accusandi, *dummodo* ipse non fuerit *causa culpabilis* erroris in comparte, vel *dolose* non sit usus errore in altera parte a *tertia* persona excitato » (2).

Igitur certum est, ex iure veteri *communi*, unum coniugem *innocentem* matrimonium invalidum ob metum aut errorem, etc. accusare potuisse. Porro Codex hoc ius nequaquam abrogavit, sed, implicite saltem, diserte confirmavit in can. 1971 § 1, 1°. Si quod, iuxta

---

(1) *Ius Decretalium*, IV, n. 269.

(2) Cfr. etiam Gasparri, *De matrimonio*, II, n. 1182; Feije, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, nn. 118, 578, 584 ss.; De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, n. 340, ed. 2.a.

nonnullos, existeret dubium — quod, nostra sententia, nullatenus existit, ne levissimum quidem — applicandum foret praescriptum can. 6, 4° et 23, ideoque necessario admittenda esset, ex ipso Codice, doctrina huc usque tradita. Nam can. 6, 4° statuit: « In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, *a veteri iure non est recedendum* ». Et can. 23: « In dubio revocatio legis praeexsistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri potest, conciliandae ».

3. Accedit quoque ratio superius memorata (III, 3). Si coniugi *reo* competeret ius accusandi matrimonium, commodum ipse perciperet ex sua culpa et, lege permittente, novam iniuriam parti innocenti inferre posset. Quod divino humanoque iuri plane adversari videtur.

V.

An habilis sit ad accusandum matrimonium, qui conditionem contra eius substantiam apposuerit.

1. Negative esse respondendum, ex dictis abunde liquet. Sane impedimenti nomine lato sensu accepti intelligendus est etiam quilibet defectus consensus, sive ex errore sive ex conditione substantiae matrimonii contraria derivetur. Proinde praescriptum can. 1971 § 1, 1° manifesto urget, ita ut si una pars tantum sit rea, haec sola iure matrimonium accusandi careat, si utraque, neutri huiusmodi ius competat, nisi accedat indultum apostolicum seu dispensatio.

2. Veteres auctores de accusatione matrimonii ob conditionem appositam contra substantiam eius, i. e. contra bonum *fidei, prolis* et *sacramenti* (1), raro et obiter tantum loquuntur; dum e contra sermonem habent de nullitate coniugii propter conditionem non

(1) Cfr. CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 630 ss. ed. alt.

impletam. Quo in casu actio illi coniugi dumtaxat tribuitur, « qui neque factum in conditionem positum adesse falso asseveraverit, aut quod haud existat, dolo reticuerit, neque ne conditio impleatur, sua culpa impedierit » (1).

Unde WERNZ ait: « Conditionata matrimonia, cum in Ecclesia catholica de facto vix celebrentur, multo rariores sunt actiones iudiciales, quibus in foro ecclesiastico matrimonia conditionata impetuntur » (2). Quae verba supponunt agi de conditione *licita,* non vero de conditione substantiae matrimonii contraria, quae obiective semper mala est. Ex principiis autem ab auctoribus passim traditis circa ius matrimonium accusandi ex capite erroris vel metus, conclusio logice sequitur etiam quoad alterum casum, ubi nempe agitur de conditione contra substantiam matrimonii. Non modo eadem atque in ceteris casibus urget ratio, sed longe validior, quia conditio contra bonum fidei vel prolis aut sacramenti scienter contractui matrimoniali apposita, gravissime illicita est; unde si nemo ex errore aut metu iniuste illato commodum percipere debet, a paritate, quin dicamus a fortiori, quis ex conditione substantiae matrimonii contraria emolumentum ac veluti praemium minime obtinere debet. Nefas est!

3. Si occurrat forte peculiaris casus, isque gravis et urgens, ut causa nullitatis proponenda videatur, patet recursus ad S. Sedem, quae, omnibus de more mature perpensis, poterit, ut in ceteris, etiam super praescripto can. 1971 § 1, 1° dispensare, atque ita facultatem concedere ut causa nullitatis matrimonii ex capite conditionis contra eius substantiam positae proponatur. Quare practice nullum exinde oritur n-

(1) *Instr. C. R.* , § 117 Lega, *De iudiciis eccl.* , IV, n. 453,5; GASPARRI, v. cit. II, n. 1182.

(2) Op. cit IV, n. 304.

conveniens, dum re vera damna complura eaque gravissima vitantur.

VI.

Conclusio.

Ex dictis haec, nostra sententia, retinenda videntur eaque mature consideranda:

1° Vocabulum " *impedimentum* „ de quo in can. 1971 § 1, 1°, late accipiendum est, ita ut nedum circumstantias ex parte *personae* complectatur, verum etiam circumstantias ex parte *consensus,* nempe vim et metum, errorem, simulationem, etc...

2° Proinde qui fuit causa erroris substantialis, vel metum gravem et iniustum comparti intulit, aut ficte consensit, aut conditionem contrariam substantiae matrimonii apposuit, habilis non est ad coniugium accusandum.

3° In casu peculiari, si graves adsint rationes, recurri poterit ad S. Sedem, ut benigne dispenset super praescripto can. 1971 § 1, ita ut actio iudicialis legitime competat etiam coniugi reo.

4° Optandum enixe est ut huiusmodi ratione congruum afferatur remedium in casu, cum in dies, pro dolor!, causarum matrimonialium numerus, praesertim ex capite conditionis contra substantiam matrimonii appositae, augeatur: ita, quoad fieri potest, consultum erit haud parum coniugii sanctitati, familiarum concordiae et paci, legis divinae atque ecclesiasticae observantiae ipsique morum honestati.

F. M. Cappello, S. I.

De ritibus paschalibus et eucharisticis in ultima cena.

Christum Dominum, cum in ultima nocte ante suam passionem cum discipulis cenaret et sanctissimum Eucharistiae sacramentum institueret, paschalem quoque Hebraeorum cenam celebravisse, communis est hodie in Ecclesia sententia (1).

Hanc sancivit vel saltem sollemniter expressit Concilium Tridentinum in sessione XXII (17 sept. 1562), cap. I, *De Sacrificio missae,* ita de institutione eucharistiae docens:

> Celebrato vetere Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui Sanguinis effusionem nos redemit *eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit* (2).

Ex admissa autem ista sententia, statim haec oritur quaestio: Quonam loco, inter ritus in cena paschali observari solitos, statuendi sunt ii pauci ritus

---

(1) Ita iam ORIGENES, *Series veteris interpretationis commentariorum in Matthaeum*, n. 79 (PG 13, 1728 CD). IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil. in Matt.* 81 (al. 82) (PG 58, 729-730). AMBROSIUS, *Epist.* XXIII, n. 10 (PL 16, 1029). HIERONYMUS, *Comment. in Matth.* 26, 17 (PL 26, 193 AB). AUGUSTINUS, *Epist.* 36, 13 (PL 33, 150). PROTERIUS ALEXANDRINUS, *Epist. ad Leonem Magnum*, c. II (Inter Leonis epist. 133. PL 54, 1086). Primis autem saeculis contrariam opinionem plures ecclesiastici scriptores tenuerunt, id est Christum mortuum esse die 14 nisan et cenam paschalem non celebravisse. Ita implicite vel implicite: CLAUDIUS APOLLINARIS Hierapolitanus episc., *Fragmenta* (ROUTH, *Reliquiae sacrae*, 1814, p. 149. PG 5, 1927. Cfr *Chronicon paschale*, edit. DINDORF. PG 92, 80-81). IUSTINUS, *Dialogus cum Tryphone*, n. 111 (*Edit.* OTTO, II, 394-396). CLEMENS ALEXANDRINUS, *De paschate fragmenta* (*Edit.* O. STAEHLIN, GCS, III, 216-217. PG 9, 757 A. B). IRENAEUS, *Adv. Haeres*, IV, X, 1 (PG 7, 1000 B). HIPPOLYTUS ROMANUS, *De paschate fragmenta* (*Edit.* DINDORF. PG 92, 80 BC). IULIUS AFRICANUS, *Chronicon* (*Edit.* ROUTH, *Reliquiae sacrae,* II, 1846, frag. L, p. 297). *Chronicon paschale* (*Edit.* DINDORF. PG, 92, 77 B-81 D, pluries). LACTANCIUS, *Divin. Instit.* lib. IV, 26 (*Edit.* BRANDT, CSEL, XIX, p. 384). Duo scriptores anonymi apud PHOTIUM, *Bibliotheca*, codd. 115 et 116 (PG 103, 389-392, 395 A).

(2) DENZINGER, 938, ad finem.

qui in describenda ultima cena apud s. Paulum et Synopticos recensentur (3)? Quae quidem interrogatio his quoque verbis proponi potest: Qua ratione et ordine in cena a Christo celebrata, cum ritibus paschalibus ab eo observatis compositi sunt ritus eucharistici?

Consentiunt enim fere omnes theologi catholici (si paucos quosdam recentiores excipias) omnes ritus omniaque verba quae a s. Paulo et Synopticis referuntur ad Eucharistiae institutionem aliquatenus pertinuisse, non exclusis ipsis verbis et ritibus qui apud s. Lucam (22, 15 - 18) leguntur: alios enim ex istis ritibus ipsos fuisse ritus quibus consecratio panis et vini in corpus et sanguinem tunc primum a Christo effecta sit, alios vero praeparationis gratia isti consecrationi ab eo praemissos fuisse (4).

Duplex autem est ratio qua concipi possit illa rituum eucharisticorum cum paschalibus in ultima cena celebranda compositio. Etenim vel credi potest Christum Dominum ritus eucharisticos ritibus paschalibus *addidisse,* sive ritus eucharisticos *post* peractos omnes ritus paschales perfecit sive eucharisticos *inter* paschales aliquomodo interposuit. Vel e contrario aestimari potest Christum nullum novum ritum ritibus paschalibus addidisse sed quibusdam ex iis ad *significandam* instantem eucharistiae institutionem usum esse (Lc. 22, 15-18), alios autem quosdam, nova a se virtute praeditos, ad *dignitatem sacramentalem evexisse.*

Communis est inter theologos opinio, Christum eucharistiae sacramentum sub utraque specie instituisse postquam cenam paschalem absolverat. At nobis non constat quid eorum plerique ista sententia intelegant; utrum istam institutionem factam esse teneant

(3) Notum est evangelium s. Ioannis de celebratione cenae pascahlis omnino silere. Quo autem loco pauca facta quae refert inter ritus cenae paschalis statui possint postea ostendemus.

(4) Cfr DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei* 2, 183-193.

post peractos omnes paschalis cenae ritus, an potius existiment eam iam statim post absolutam ipsam proprie dictam cenam, in qua agnus comedendus erat, subsecutam esse. Quod si hoc altero sensu eorum sententia intellegenda est, nos claritatis causa eam potius exprimamus dicendo ritus institutionis esse inter ritus paschales statim post agni comestionem interpositos.

Nobis autem sine dubio (nisi ab illa aliunde prohibeamur) illa sententia omnino sequenda videtur quae tenet, ritus eucharisticos a s. Paulo et Synopticis recensitos fuisse *omnes* ritus paschales. Hanc pro supposito (quod philosophi vocant) nostrae demonstrationis statuemus. Quare ubi ritui alicui ultimae cenae ritum in cena paschali observari solitum et sua natura (praeter additam novam cum eucharistia connexionem) et suo loco apte congruere viderimus, nisi gravis obstet ratio, ambos istos ritus pro uno eodemque paschali ritu habebimus a Christo sive in praedicenda et praeparanda eucharistia sive in ea conficienda adhibitum. Non autem frustra assumemus ritui paschali alium ritum omnino similem a Christo additum esse in praedictum usum adhibendum. Non enim, ut aiunt philosophi, entia sine necessitate multiplicanda sunt.

Et re quidem vera, nonne unio inter figuram et veritatem, inter agnum paschalem et Christum sacrificii Novae Legis victimam, multo strictiore et intimiore nexu nititur, si Christus ipsis paschalibus ritibus usus est in celebranda eucharistia quam si alios, illis superadditos, in istud opus usurpavit ? Nonne praeterea, si Christus alios atque paschales ritus adhibuit, coniunctio inter duo sacrificia semel tantum et brevi temporis instante effecta esse dicenda est, si autem ipsis paschalibus ritibus usus est, eadem coniunctio, aliquatenus constans et perpetua reputari debet, quoniam ritus

quibus a Domino iussi hodiedum utimur iidem ipsi sunt qui olim in paschali cena observari solebant? Nonne tunc omnino vere dici potest legem non esse a Christo solutam sed adimpletam?

Tres erunt huius brevissimae notae partes. In **prima,** inter se comparabimus ritus cenae paschalis, quales tempore Christi observabantur, et ritus ultimae cenae a s. Paulo et Synopticis descriptae, et facile ostendemus singulis huius cenae ritibus et natura et loco apte congruere ritum aliquem paschalem.

In **altera,** ad singulas istius comparationis partibus rationes quibus nititur afferemus.

In **tertia,** denique ab quasdam difficultates, quae opponi possint, respondere conabimur.

Haec omnia brevissimis verbis absolvemus, res potius innuentes quam exponentes.

I.

Tempore Christi hi erant circiter ritus in cena paschali observandi (5):

1°) Omnes statim a principio in lectis decumbebant et singulorum pocula vino implebantur. Dicta autem a patre familias consueta vini benedictione et dein bene-

(5) H. L. STRACK, *Pesachim, Der Mishnatraktat. Passafest mit Berücksichtigung des Neuen Testaments und der jetzigen Passafeier der Juden nach Handschriften und alten Drucken herausgegeben*, übersetzt und erläutert (Schriften des Institutum Judaicum in Berlin, N° 40). Leipzig, 1911. G. BICKELL, *Messe und Pascha, Der Apostolische Ursprung der Messliturgie und ihr genauer Anschluss an die Einsetzungsfeier der h. Eucharistie durch Christus aus dem Pascharitual nachgewiesen*, Mainz, 1872. pp. 42-63. IDEM, *Die Entstehung der Liturgie aus der Einsetzungsfeier*, Zeitschrift für kathol. Theologie, IV (1880), pp. 90-92. JOHN LIGHTFOOT, *Ministerium Templi*, c. XIII, Ritus Judaeorum in comedendo Paschate, apud BLAS. UGOLINI, *Thesaurus antiquitatum sacrarum*, t. IX (1748), DCCCCXXXI-DCCCCXLVII. Ipse B. UGOLINI, *Dissertatio de ritibus in coena Domini ex Antiquitatibus Paschalibus illustratis*, *Thesaurus* etc., t. XVII (1755), pp. MCXXVII-MCLXXXVI.I.

Non semper facile est in istis descriptionibus ea discernere quae iam tempore Christi in usu erant. Hoc maxime Bickell facere conatus est, *Messe und Pascha*, pp. 52-63.

dictione festi, ab omnibus bibebatur. Hic ritus nomen habebat *qiddush*, id est benedictio.

2⁰) Postquam pater familias manus suas (sine consueta benedictione) laverat, ei afferebantur agnus paschalis, caro victimae sacrificii festivi (*chagîgâh*) (6), panes azymi duo, herbae amarae et ordinariae, *charoseth* (7), vas aceti vel salsuginis plenum. Post recitatam ab eo frugum terrae benedictionem (8), ipse et dein ceteri, quasi cenam incipere vellent, aliquantulum ex herbis ordinariis, in *charoseth* intinctis, gustabant. Quo facto, pater familias, panes attollens, haec verba proferebat: *Hic est panis miseriae quem patres nostri in Aegypti regione comederunt. Quicumque esurit, accedat. Quicumque eget, veniat et pascha celebret.*

3⁰) Rursus impletis omnium poculis, pater familias recitabat *Haggâdâh* (9), in qua dum explicabat quid significarent agnus, azymi et herbae, singula attollebat et ceteris ostendebat; dein statim, discoopertis azymis, *Hallel* (parvi) prior pars (pss. 113-114) (10) ab omni-

(6) Iudaei enim eodem vespere duas distinctas sollemnitates celebrabant: paschatis et primi diei azymorum. Propterea die 14 nisan praeter agnos immolabatur etiam alia victima in sacrificium festivum (chagîgâh a verbo chaggâh, festum). In cena autem totus agnus comedendus erat, carnis autem alterius victimae parva tantummodo pars.

(7) Pulmentum aliquod maximam partem aceto et fructibus confectum.

(8) Benedictiones apud Iudaeos aliae breviores erant, aliae prolixiores. Priorum rationem haec exempla demonstrant. *Benedictio vini*: Benedictus esto, Domine, Deus noster, Rex mundi, creator fructus vineae. *Benedictio panis*: Benedictus esto, Domine, Deus noster, Rex mundi, qui panem e terra educis. Si ritus quidam lege praeceptus complendus est, huius semper mentio fiebat. *Benedictio manuum lotionis*: Benedictus esto, Domine, Deus noster, Rex mundi, qui tuis praeceptis nos sanctificasti, et manus lavare iussisti. *Benedictio azymorum*: Benedictus.... et azyma comedere iussisti. *Benedictio agni paschatis*: Benedictus.... et pascha comedere iussisti. Longioris benedictionis exempla sint beredictio festi paschalis in qiddush et benedictio Hallel, quae tamen, cum ad praesentem questionem nostram non pertineant, referre supersedimus.

(9) Prolixa et sollemnis commemoratio liberationis ex Aegypto, in qua explicabantur a patre familias singuli e praecipuis ritibus cenae pashalis. Haggâdâh erat nomen commune omnis commentarii homiletici seu moralis in partes historicas librorum sacrorum.

(10) I. e. ps. 112-113 in Vulgata. Hallel erat nomen totius seriei psalmorum 113-118 (Vulg. 112-117), quod iis inditum erat quia saepius verba haec referunt: hallelu-jâh, id est *laudate Deum*.

bus dicebatur. Tunc, iterum coopertis azymis, pater familias poculum suum manibus capiens, actionem gratiarum de liberatione ex Aegypto recitabat. Post quam, dicta ab eodem consueta vini benedictione, omnes bibebant.

4°) Omnes cum consueta benedictione manus suas lavabant. Dein pater familias unum e duobus azymis accipiens, illum frangebat et, dicta consueta panis benedictione et benedictione azymorum, illum attollebat. Quo facto, ex eo parum gustabat, eumque ceteris trabebat, qui pariter ex eo aliquid gustabant.

5°) Sequebatur tunc *proprie dicta cena,* in qua pro libitu manducare et bibere fas erat. Varia in ea opsonia apponebantur. Ipso tamen eius initio omnes convivae ex herbis amaris, e carne *chagîgâh* et ex agno gustare debebant, in fine autem e solo agno. Post hoc, nemini licitum erat quidquam illa nocte manducare.

6°) Absoluta hoc modo cena, omnes iterum manus lavabant et pocula implebantur. Sequebatur sollemnis actio gratiarum de sumptis cibis pariter a patre familias recitata (11), et, post dictam consuetam vini benedictionem, omnes bibebant.

7°) Tunc quarta et ultima vice pocula implebantur, et recitabatur ab omnibus (parvi) *Hallel* pars altera (pss. 115-118) (12). Dein, post dictam a patre familias benedictionem (parvi) Hallel (13), recitabatur eodem modo *Hallel* « magnum » (ps. 136 vel 135). Dicta rursus a patre familias benedictionem « magni » *Hallel* et dein consueta vini benedictione, omnes ultimum poculum bibebant. Denique a patre familias actio gratiarum de fructu vineae et de concessa terra promissa

(11) Formula relata est apud ED. VON DER GOLTZ, *Tischgebete und Abendmahlsgebete in der altchristlichen und in der griechischen Kirche* (TU, NF, XIV, 2 b), Leipzig, 1905, pp. 9-12.

(12) Pss. 114-117 in Vulgata.

(13) Ps. 135 vel 134 in Vulgata.

recitabatur et isto ritu tempore Christi celebratio paschalis cenae concludebatur.

Cena autem ultima ita fere a s. Paulo (14) et Synopticis (15) narratur esse celebrata. Vespere facto, Iesus in cenaculo cum duodecim discubuit. Tunc, ut narrat s. Lucas, haec verba dixit: *Desiderio desideravi hoc pascha vobiscum manducare antequam patiar. Dico enim vobis: Quia (ex hoc) non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei* (16). Deinde, inquit idem evangelista, accepto calice Iesus gratias egit et dixit: *Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis: Quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat* (17). Mox autem, cum manducarent (18), accepit Iesus panem, benedixit seu gratias egit (19), panem fregit, illumque discipulis dedit dicens: *Accipite et comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem.* Simili modo (Pl 25, Lc 20), postquam **cenatum est**, sumpsit Iesus calicem, gratias egit (20), deditque discipulis (qui ex illo biberunt) (21),

---

(14) I Cor. 11, 23-25.

(15) Mt 26, 20-30. Mc 14, 17-26. Lc 22, 14-23.

(16) Vox *οὐκέτι (ex hoc)* in optimis mss deest.

(17) Vv. 15-18.

(18) Verba *ἐσθιόντων αὐτῶν* apud Mt 26 et Mc 22 tantum leguntur.

(19) *Benedixit* (*εὐλογήσας*) dicunt Mt 26 et Mc 22; *gratias egit* (*εὐχαριστήσας*), Pl 24 et Lc 22. Quamquam *εὐλογεῖν* et *εὐχαριστεῖν* etiam in Novo Testamento duos diversos conceptus exprimunt (J. H. THAYER, *A Greek-English Lexicon of the New Testament being* GRIMM'S WILKE'S *Clavis Novi Testamenti translated, revised and enlarged*, Edinburgh, *ad verba*), notandum tamen est omnes formulas benedictionis quas supra retulimus esse formulas actionis gratiarum. Ceterum in Mishna praescriptiones quae ad actionem gratiarum, v. g. post sumptos cibos peragendam, pertinent, reperiuntur in tractatu Berâkhôth. Quare hic ista duo verba fere synonyma sunt.

(20) *Εὐχαριστήσας*. Hoc verbo utuntur Mt 27 et Mc 22, qui paulo superius de pane dixerant *εὐλογήσας*. Quamquam verba *εὐλογεῖν* et *εὐχαριστεῖν* pro fere synonymis haberi posse ostendimus, si quis nihilominus aestimaverit non nisi consilio factum esse potuisse ut, tam parvo intervallo, ab iisdem scriptoribus duo diversa verba adhibita sint ubi unum idemque exspectandum erat, diversitatem illam facile e ritibus paschalibus explicare posse confidimus. Ista tamen explicatio melius postea proponetur. V. n. 26.

(21) Mc. v. 23.

dicens: *Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus novi testamenti qui effunditur pro multis in remissionem peccatorum* (22). *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Denique hymmo dicto exierunt.

Verba *Amen dico vobis quod iam non bibam e genimine vitis donec bibam illud vobiscum in regno patris mei,* quae e Lc 18 exscripsimus, Mt 29 et Mc 25 post consecrationem calicis referunt. Putamus tamen evangelium s. Lucae melius indicare tempus quo ista verba re vera prolata sunt (23).

Aliam rituum communitatem inter utramque cenam exegetae et theologi saepius non agnoscunt, nisi quod opinantur nonnulli calicem a Christo consecratum unum esse e duobus ultimis ritualibus poculis cenae pascha-

(22) Ita apud Mt 28 et Mc 27 (usque ad verbum *effunditur*); apud Lc 20 et P 25 formula est parum diversa: *Hic (est) calix novum testamentum sanguine meo* (*qui effunditur pro vobis* Lc).

(23) De revelatione proditoris non omnino constat quando facta sit. Etenim Mt et Mc eam ipso fere narrationis initio commemorant, Lc vero ad finem eiusdem. Ex ipsis gestis et dictis a tribus evangelistis relatis existimaverimus revelationem istam in ipsa cena factam esse, cum convivis libere inter se sermonem habere licebat. Huic interpretationi non solum aptissime congruit sed etiam maiorem firmitatem addit narratio eiusdem facti a s. Ioanne 13, 21 30 tradita. Liquet enim apud istum evangelistam Christum tempore cenae (*δεῖπνον*), id est postquam pedes discipulorum laverat et iterum recubuerat (13, 2. 12) traditionem Iudae patefecisse. Pedes enim discipulorum Christus lavisse constat, cum iam incepta erat cena. Nec multum interest utrum in v. 13, 2 eligatur lectio *δείπνου γινομένου* (quae est lectio in textum omnium editionum criticarum recentiorum admissa), an lectio *δείπνου γενομένου* (quam praebent nonnulli libri manuscripti et secuta est Vulgata). H. VON SODEN, *Die Schriften des Neuen Testaments in ihrer ältesten erreichbaren Textgestalt, Text und Apparat,* Göttingen, 1913, p. 455. Etenim ne haec altera quidem lectio significat cenam fuisse absolutam, cum Iesus pedes lavare coepit, sed tantummodo inceptam. Hic enim est sensus verbi *γίνεσθαι*. Cfr. Mt 26, 20. Mc 14, 17. Lc 22, 14. Ceterum e Io 13, 4 et 12 manifestum est cenam non esse absolutam ante pedum lotionem. Lectio autem *δείπνου γενομένου* significat *cum cena inciperetur,* et tunc Christus pedes initio cenae lavit. Quomodo vero componenda sit narratio de fine cenae paschalis apud Io 14, 31; 18, 1 cum eadem narratione apud Mt 26, 30 et Mc 14, 26, nostrum non est demonstrare. Apparens discrimen explicari potest, si ponitur Christum sermonem quem cum discipulis in cena habuerat, post peractos subsequentes ritus paschales resumpsisse, s. Ioannem vero illorum rituum mentionem, sicut de praecedentibus fecerat, omisisse.

lis (24). Nos autem existimamus multo plures esse communes utriusque cenae ritus. Initium enim sumentes a **cena proprie dicta** (*δεῖπνον, δειπνᾶν*) statuimus: 1°) calicem quem Christus post actas gratias consecravit fuisse tertium inter pocula ritualia cenae paschalis, seu illud super quod gratiae de sumptis cibis agebantur; 2°) panem autem *a Christo* consecratum illum panem fuisse quem statim ante cenam pater familias solebat frangere benedicere attollere, gustare, ceterisque tradere ut illum pariter gustarent; 3°) verba a s. Luca vv. 15-16 relata: *Desiderio desideravi hoc pascha vobiscum manducare*, etc., dicta fuisse occasione formulae: *Hic est panis miseriae... Quicumque esurit, accedat. Quicumque eget, veniat et pascha celebret.* Verba autem subsequentia (vv. 17-18): *Et accepto calice gratias egit et dixit: Accipte et dividite inter vos* etc., omnino congruere ritibus in secundum poculum complendis adeoque gratias quas Christus in hoc versiculo egisse dicitur illas ipsas fuisse quas, secundum ritus paschales, agere debebat de liberatione populi Israel ex Aegypto; 4°) verba denique: *et hymno dicto* (25), intellegenda esse de psalmis, benedictionibus et gratiarum actionibus quae i fine ritus paschalis seu ad ultimum poculum recitandae erant. Animadvertet autem lector istos ritus non solum singulos singulis perfecte congruere, sed eos eodem prorsus ordine in utraque cena unum alium excipere, ut e sequenti tabella constat:

Panes attollens pater familias dicit: *Hic est panis miseriae... Quicumque esurit*, etc.	Lc 22, 15-16. Desiderio desideravi....

(24) H. A. W. MEYER, *Kritisches Handbuch über das Evangelium des Matthäus*[7], 1883, p. 507, n. **. P. SCHEGG, *Evangelium nach Matthäus übersetzt und erklärt*, III, 1858, p. 353. Cfr 357-358. P. SCHANZ *Commentar über das Evangelium des heiligen Matthäus*, 1879, p. 514. J. P. LANGE, *Das Evangelium nach Matthäus*[4], 1878, p. 411, n. 3. IDEM, *Das Evangelium nach Lukas*[4], 1880, p. 478-479, n. 10. C. FOUARD, *Dict. bibl.*, II, 415. BICKELL, *Messe und Pascha* 80-81 IDEM, *Die Entstehung der Liturgie*, Zeitschrift f. kath. Theolog., IV, p. 99. J. B. THIBAUT, *La liturgie romaine* , p. 21, n. 1.

(25) Mt 30, Mc 26.

Post impleta iterum poculum et recitatam Haggâdâh, pater familias poculum manibus accipiens gratias in eo agit de liberatione populi Israel ex Aegypto. Dein, post recitatam consuetam benedictionem vini, ab omnibus bibitur.	Lc 22, 17-18. Et accepto calice, gratias egit et dixit: Accipite et dividite inter vos.
Panis unus frangitur benedicitur, gustatur, dividitur, etc.	Consecratio panis, qui benedicitur, frangitur, dividitur, comeditur.
Cena proprie dicta *(δεῖπνον).*	« (Postquam) **cenatum est** » *(μετὰ τὸ δειπνῆσαι).*
Impletis tertium poculis, gratiae a patre familias de sumptis cibis aguntur. Dein, post dictam benedictionem, ab omnibus bibitur.	Consecratio calicis, qui post actas gratias inter discipulos dividitur.
Postquam quartum denique impleta sunt pocula, absolvitur parvum Hallel, recitatur magnum cum suis benedictionibus et bibitur ad omnibus.	Hymno dicto exierunt.
Omnia concluduntur actione gratiarum de fructu vineae et concessa terra promissa.	

II.

A. Quam veri simile sit *calicem* quem Christus post cenam consecravit unum esse e duobus poculis quae secundum ritum paschalem pariter post cenam benedicenda erant, non est quod demonstremus. Ceterum, ut iam diximus, ista plurium exegetarum sententia est, qui in hoc tantum inter se dissentiunt quod alii asserunt calicem a Christo consecratum fuisse tertium, alii quartum. Nos cum prioribus, qui etiam longe plures sunt, existimamus tertium poculum esse a Christo consecratum. Cuius opinionis hae sunt rationes. 1°) In tertium, non autem in quartum poculum gratiae age-

bantur, quas pariter Christus ante ipsam calicis consecrationem egisse narratur *(εὐχαριστήσας)* (26). Quare tertium poculum nomen habebat « *calicis benedictionis* ». 2⁰) Si consecratus calix tertius fuit, eius consecratio non nimio intervallo a consecratione panis separata est, ut statim plenius ostendemus. 3⁰) Facilius explicantur verba « hymno dicto » *(ὑμνήσαντες)*, ut ex mox dicendis liquebit.

Ad complendam autem similitudinem inter poculum paschale et calicem consecrationis, notare liceat consecrationem istam, ut videtur, hoc modo esse peractam, ut Christus primum omnes consuetos Paschales ritus perfecerit, at statim post ritualem vini benedictionem a patre familias dicendam haec verba dixerit: *Hic est sanguis meus*, etc.

B. *Panem* autem a Christo consecratum illum fuisse ex duobus azymis quem pater familias ipso cenae initio frangere debebat, et deinde simul cum altero benedicere, elevare, gustare, ceterisque gustandum tradere, propter sequentes rationes asserendum videtur: 1⁰) Nulla est, sive ante sive post cenam, alia panis benedictio et ritualis manducatio quam praedictus ritus. Immo tam ante inceptam quam post absolutam cenam quidquam illa nocte comedere nefas erat. Iam vero istud principium nostrum, quod omnis ultimae cenae

---

26) Hoc erat discrimen inter ritum qui ante cenam in panem perficiebatur et ritum qui post cenam in tertium poculum, quod in utrumque quidem benedictio consueta dicebatur, gratiae autem in calicem tantummodo, non autem in panem agebantur. Si igitur verbo *εὐχαριστήσας* a Mt 27 et Mc 23 adhibitum pro synonymo verbi *εὐλογήσας*, ab iisdem superius (vv. 25 et 22) usurpati, habere volumus illumque de *benedictione* tantummodo calicis interpretari, tunc fatendum est evangelistas de gratiis secundum ritum paschalem in calicem agendis siluisse et remanet questio cur denique tandem duobus diversis verbis usi sint. Quare rectius dicendum esse putamus verbo *εὐχαριστήσας* Mt et Mc cum actionem gratiarum in calicem tertium tum etiam eius benedictionem significare voluisse, formulas istas a parte earum potiore nominantes. Brevis enim benedictionis formula facile pro conclusione prolixae gratiarum actionis apparere poterat.

ritus, si quem sibi congruentem ritum in cena paschali habet, pro uno eodemque cum eo reputari debet, eo magis hic, id est de panis consecratione, urgere possumus, quod hodie, ut diximus, plerique exegetae admittunt calicem consecratum fuisse unum e ritualibus poculis paschalibus. 2°) Neque ante neque post cenam ullus ritus vel ulla formula reperitur, quae opportunitatem aliquam praebere potuit interponendi consecrationem panis. Quod enim quidam putant recitationem horum magni Hallel verborum: *Qui dat escam omni carni* (ps. 136, 25), illam occasionem obtulisse, pia est opinio, quae tamen firmo fundamento non nititur. 3°) Mira sane est similitudo inter ritus quos in panes paschales, et maxime in unum ex iis pater familias peragere debebat et ritus quos Christus in panem perfecit, ante quam illum consecravit. Rursus hic nulla fortasse mutatio alia facta est, nisi quod post consuetas benedictiones panis et azymorum Christus in panem quem manu tenebat verba consecrationis protulit: *Hoc est corpus meum*, etc. 4°) Verba *μετὰ τὸ δειπνῆσαι* demonstrant saltem consecrationem panis non esse post cenam peractam, sicut peracta est consecratio calicis. Manifestum est enim ista verba aliquod discrimen, quod ad tempus attinet, inter utramque consecrationem inducere. Possit sane quis illa verba sic interpretari, ut sint de utraque consecratione pari modo intellegenda. Satis enim est ut ad illa referatur verbum *ὡσαύτως*, ita ut hic sensus oriatur: *pariter post cenam, etiam post cenam, post cenam quoque*. Sed ista interpretatio sine dubio reicienda est. Etenim *a*) valde dubitandum est verbum *ὡσαύτως* isto sensu adhiberi posse. Vox enim *ὡσαύτως* etiam in Novo Testamento semper significat *eodem modo, pari ratione,* non autem *etiam* vel *quoque*; seu, quod fere idem est, afficit semper non complementum verbi, sed ipsum verbum. Immo saepe pro isto

posita est (27). In nostra sententia igitur vox ὡσαύτως stat pro locutione *sumens et gratias agens,* qua utuntur Mt et Mc; *b*) proposita verbi ὡσαύτως interpretatio locutioni s. Pauli non congruit. Apud illum enim verba ὡσαύτως et μετὰ τὸ δειπνῆσαι verbis καὶ τὸ ποτήριον inter se divisa sunt, ita ut verbum ὡσαύτως (si sensu obicientis intellegendum esset), haec, non autem illa, afficeret; *c*) si panis post cenam consecratus esset, hoc sane iam opportuniore loco a s. Paulo et s. Luca dictum esset, id est ubi panis consecratio ab iis narratur. Ibi autem nihil simile notatum est. Immo Mt 26, 26 et Mc 14, 22 habent: *manducantibus illis,* ἐσθιόντων αὐτῶν (28), quod fere propositae interpretationi verborum ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι contradicit.

C. De versiculis s. Lucae 15-18, quae non parum theologos et exegetas exercuerunt, vix opus est ut ostendamus quam bene tertiae e quartae parti cenae paschalis congruant. Ipse enim parallelismus verborum in vv. 16 et 18 manifestum facit totum istum locum (15-18) in duas partes dividi debere. In priore autem parte mentio est de *comedendo* paschate, sed nihil neque Christus neque apostoli hac occasione re vera comedisse narrantur. Iam vero eodem modo fiebat in tertia cenae paschalis parte. Nam si quidquam ex herbis ordinariis iam tunc gustabatur, hoc non fiebat nisi ad initium cenae *simulandum,* ut inde pater familias occasionem arriperet recitationis Haggâdâh incipiendae. E pane azymo vero nihil tunc comedebatur.

Calix autem qui apud eundem evangelistam vv. 17-18 nominatur certe, ut e v. 15 liquet, omnino peculiarem connexionem cum paschatis celebratione habebat. Idem autem omnino affirmandum est de secundo poculo paschali, ad quod recitabatur sollemnis Haggâdâh. Sicut

(27) I. H. Thayer, *A Greek-English Lexicon, ad verbum.*
(28) Mt. 26. Mc. 22.

Christus calicem accepit et in eum gratias egit, sic etiam pater familias, post recitatam Haggâdâh et priorem partem parvi Hallel (pss. 113-114) in poculum quod manu tenebat agere debebat.

Patet autem verba *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* aeque bene intellegi posse sive de iam manducato paschate, sive de paschate brevi post comedendo seu melius iam manducari coepto.

D. Verba *hymno dicto exierunt* (29) facillime de ultimis et solemnibus *canticis* quibus concludebatur celebratio paschalis intellegenda esse demonstrare supersedimus.

III.

Plures tamen neque spernendas difficultates posse nostrae sententiae opponi non negabimus. Opinamur tamen nullam talem esse quae nos ad sententiam nostram relinquendam cogat.

1°) Contra comparationem narrationis Lc. 17-18 cum tertia parte cenae paschalis, et comparationem calicis consecrationis cum tertio poculo eiusdem cenae, obici possit, in cena paschali morem fuisse ut *singuli* poculum suum haberent, omniaque pocula implerentur, dum apud s. Paulum et Synopticos *unius* tantum poculi mentio est. Ista quidem difficultate utuntur quidam historici moderni, ut praefracte negent Christum cenam paschalem celebravisse. Solutio tamen eius non est valde difficilis. Quod enim ad priorem comparationem pertinet, sic dicemus : Christus calicem suum ipse bibere noluit, eum autem suis discipulis reliquit, ut illum inter se dividerent. Hoc autem dicentes, non necessario negamus, discipulos propria pocula habuisse vel ea esse, ut mos erat, vino impleta. Itaque quod Christus

(29) Mt 30, Mc 26.

ipse tunc non bibit, nullatenus impedit quin ritus consuetus in ceteris partibus observatus sit. Quam nostram interpretationem innuit vox *dividite (διαμερίσατε)*, quae plus sane exprimit quam quod discipuli aliquid tantum e calice bibere iussi sint.

Quoad alteram comparationem, facilior est oppositae difficultatis solutio. Nam manifestum est Christum suum tantum calicem consecrare potuisse. Quomodo enim dixisset: *Hi cuncti sunt calices sanguinis mei*, vel maxime: *Hic est sanguis meus,* pronomine *hic* ostendens totum vinum in omnium et singulorum poculis contentum ? Facile est praeterea suspicari hac occasione cetera pocula non fuisse impleta vel si impleta sunt, discipulos vinum quod continebant non ante sumptum sanguinem Christi bibisse. Ceteroquin iste usus, ut unus calix tantum a patre familias benediceretur e quo postea omnes biberent, apud Hebraeos usitatissimus erat. Immo, si cenam paschalem excipias, in ceteris omnibus conviviis ita fieri solebat, quando de sumptis cibis Deo gratiae agendae erant (30).

Hactenus propositae difficultates sine magno negotio solvi potuerunt. Sed maiores et plures opponuntur quod ad comparationem spectat quam statuimus inter panis consecrationem eucharisticam et benedictionem panum azymorum in cena paschali.

Et 1^0) opponi nobis possit locus concilii Tridentini quem ipsi supra retulimus. In eo enim de Christo narratur: *Celebrato vetere Pascha.... novum instituit Pascha.* Videntur ergo Patres docere Christum pascha vetus absolvisse ante quam novum instituit, quod in nostra sententia negatur.

Ad istam difficultatem responderi potest: *a*) Ex ipso modo dicendi non videntur Patres definire voluisse inter utrumque pascha fuisse stricte dictam suc-

(30) H. LIETZMAN, *Messe und Herrenmahl. Eine Studie zur Geschichte der Liturgie (*Arbeiten zur Kirchengeschichte*)*, Bonn, 1926, pp. 202-207.

cessionem, sed opinionem tantum commemorare secundum quam eucharistia occasione cenae paschalis a Christo celebratae instituta est; *b)* etiam in nostra sententia, eucharistiae institutio non est nisi post cenam perfecta, quoniam calicem nonnisi post istam a Christo consecratum esse tenemus; *c)* non scriptum est *manducato vetere pascha* sed *celebrato vetere pascha.* Iam vero ad celebrandum pascha omnino pertinebant etiam tertium et quartum poculum et utriusque Hallel recitatio. Quare, si textus Concilii ita esset intellegendus quasi aliquid definiret de successione utriusque paschatis, illorum quoque opinio condemnaretur qui tenent Christum instituisse sacramentum eucharistiae eo momento quo tertium populum benedici solebat; *e)* etiam et quidem multo magis illorum sententia condemnaretur qui existimaverunt Christum legale pascha prorsus non celebrasse. Haec tamen fuit plurium opinio in ecclesia ante saeculum IV, eamque recentiore tempore non nulli catholici propugnaverunt (31).

2⁰) Ab ista difficultate re vera non differt haec altera, quae desumi possit a constanti et hodie universali in ecclesia traditione, eucharistiam post celebratum pascha institutam esse, ut ait S. THOMAS:

In supremae nocte cenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Vel etiam:

Noctis recolitur cena novissima,
Qua Christum creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, iuxta legitima
Priscis indulta patribus.

(31) V. n. 1. Inter recentiores nominari possunt CALMET, *Commentarium litterale in Bibliam,* Venetiis, t. VII (1732), p. 243; P. BATIFFOL, *Etudes d' histoire et de théologie positive,* 2.e série, 1920, pp. 137-140.

Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus dominicum datum discipulis
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Eius fatemur manibus.

3⁰) Difficultas oriri possit e verbis *ἐσθιόντων αὐτῶν* (Mt 26, Mc 22), quibus explicite excludi videtur sententia qua statuitur consecrationem panis ante cenam factam esse. Respondemus: *a*) Si excluditur ista sententia, excluditur pariter sententia illorum qui dicunt consecrationem panis peractam esse post cenam. Neque dicere iuvat, consecrationem panis factam esse statim post cenam, ita ut haec fuerit quasi ultimus cenae actus. Cena enim paschalis necessario comestione agni concludenda erat, et quidquid comestum esset (si fas fuisset!) post manducatum agnum, *post* cenam sumptum esset, neque evangelistae dicere potuissent panem esse consecratum *dum* manducabant; *b*) nulla omnino ratione probari potest vocem *ἐσθιόντων* intellegendam esse de ipsa cena. Dubium enim non videtur quin post *ἐσθιόντων* supplenda sint verba *τὸ πάσχα*. Hoc suadet totus contextus (Mt vv. 17. 18. 19; Mc, vv. 12. 14. 16; Lc, vv. 8. 11. 13), atque alterum exemplum omissionis istorum verborum in Lc 8. Nomen autem *πάσχα*, etsi non numquam per aliquam synecdochen ipsum agnum paschalem designat, saepius tamen sensum latiorem habet, et totam cenam paschalem cum omnibus suis ritibus significat. Inde est quod apud Mt18, pro *ἐσθίειν τὸ πάσχα* scriptum est *ποιεῖν τὸ πάσχα*; *c*) etiam si vox *ἐσθιόντων* de proprie dicta cena intellegenda esset, nihil ex hoc contra nostram sententiam efficeretur. Panis enim benedictio de qua diximus, pro ipsius cenae initio erat, eodem fere modo atque preces quas ante cibi sumptionem recitamus, nostrorum conviviorum initium dici possunt. Quod in cena paschali bene apparet ex eo quod, sicut statim post comestum agnum

et absolutam cenam omnes manus suas lavabant, ita etiam statim ante panis benedictionem faciendum erat adeoque duplici ista manuum lotione cena quasi terminata erat.

Opponi possit 4°) cum panis benedictionem tum benedictionem calicis non esse ritus cenae paschalis proprios, sed fuisse in omni convivio apud Iudaeos observandas. Recte quidem hoc aliquatenus affirmatur, sed notandum est formulis quae praedictis ritibus annexae erant in convivio paschali frequentem festi commemorationem, immo integras benedictiones et preces fuisse adiungendas. Quare inde potius in sententia nostra confirmamur. Christus enim cum eucharistiam non solum celebraverit sed instituerit, providentissime egit, ritus ad hoc eligendo qui simul paschales erant et tamen frequentiori usui accommodati. Ceterum, saltem quod ad panem attinet, alius ritus nullus erat.

Quaeretur 5°): Si Christus panem ante cenam consecravit, vinum autem post istam, nonne duae consecrationes quae veri sacrificii Novi Testamenti partes sunt, una ab alia agni comestione, seu ritu ad figurativum sacrificium pertinente, divisae erant? Nonne ergo minus plene significatum est a Christo novum sacrificium antiquo esse substitutum? Respondetur: *a*) Hoc argumentum, quod perfectiorem tantummodo *expressionem* symbolismi ultimae cenae considerat, non videtur allatis a nobis rationibus praevalere posse. Istae enim hac logica et certissima lege nitebantur, quod non licet sine necessitate hypotheses fingere ubi facta sufficientem explicationem praebent; *b*) ceterum prima ipsius symbolismi condicio haec erat, ut Christus legalis paschatis ritus perfecte observaret. Quod profecto non fecisset, si integros ritus in cenam interposuisset ubi hoc omnino vetitum erat facere; *c*) idem incommodum quod nostrae sententiae opponi possit, habet aliquatenus sententia statuens utramque conse-

crationem occasione tertii poculi factam esse, quoniam post institutum verum sacrificium, ultimi ritus sacrificii antiqui absolvendi erant, ut supra iam innuimus; *d*) symbolismus cenae ultimae in hoc praecipue erat quod Christus pro Novi Sacrificii agno appareret. Hic autem integer manet in nostra explicatione, immo fortasse validius exprimitur.

Denique 6°) ultimum aliquod dubium inde oriri possit, quod secundum nostram sententiam Christus nullo temporis momento simul sub utraque specie in eucharistia praesens fuit; quod tamen necessarium fuisset ad sacrificii eius integritatem. Respondemus: *a*) Non quidem constat consecratum panem esse ex integro inter discipulos divisum, sed sponte nostra id concedimus; *b*) etiam si ponitur panis consecratio post cenam, dummodo ne narrationi cenae, ut est apud s. Paulum et in evangeliis, quidquam addatur vel in ea mutetur, fatendum est prorsus nihil in ea reperiri quod istam praesentiam Christi simul sub aspectu panis et vini praesentis innuat. Immo ex ista narratione potius statuendum est panem iam fuisse a discipulis manducatum, quando consecratus est calix. Dedit enim certo Christus panem ante quam consecravit calicem. Vix autem credendum est eum calicem tunc consecrare voluisse, cum discipuli toti in novum admirabilemque panem gustandum intenti erant. Praeterea, ante quam calicem consecravit, in eum gratias egit, quod e moribus Iudaeorum et totius antiquae ecclesiae non nisi longiore sermone fieri potuisse novimus. (32) Denique certum est morem fuisse in cena paschali ut ipse pater familias panes inter convivas divideret, non vero u patena in qua positi erant panes per omnes circuiret ita ut singuli suam partem ex iis sumerent. Quem ritum veri simile est Christum quoque observavisse

(32) V. n. 11. Formula in illo opere relata valde prolixa est.

Eo maxime quod non solum in cena paschali sed in omni convivio panis benedictus illa ratione dividendus erat. Inde sane est quod apud Mt Christus narratur dixisse de calice: *Bibite ex eo omnes*, de pane vero: ACCIPITE, *et comedite*; *c*) ceteroquin non intellegimus cur denique tandem in cena ultima necesse fuerit ut Christus physice simul sub utraque specie praesens esset. Physica enim aliqua « simultaneitas » eo necessaria videri potest quod, nisi duo elementa, panis inquam et vinum, saltem uno temporis instante simul exstent consecrata, non satis perspicue figuraretur unius atque eiusdem victimae carnis et sanguinis divisio. Sed nonne etiam sine ulla physica simultaneitate, satis clare exprimitur ista unius victimae cruenta immolatio, modo duo elementa ad unum eundemque continuatum ritum pertineant? At, secundum interpretationem quam proposuimus, ita se res habebat in cena ultima. Ritus enim quem Christus virtute sacramentali munivit, etsi duabus partibus constabat, non solum ritus vere unus erat, quoniam erat ritus quo apud Hebraeos omne convivium benedici solebat, sed insuper, propter coniunctionem actu observatam inter eum et celebrationem convivii, eius unitas omnibus manifestissima erat. Quare si Christus non fuit physice simul praesens sub utraque specie, moraliter tamen fuit.

I. M. HANSSENS, S. I.

Competentia matrimonialis Parochi Gentilicii seu Personalis

Quaeritur: Utrum parochus alicuius Ecclesiae nationalis possit necne valide assistere matrimoniis aliorum qui non sunt ejusdem nationalitatis?

Per decretum " *Tametsi* „ clandestinitas erecta est impedimentum dirimens matrimonii: decretum statuit matrimonia non celebrata coram parocho et saltem

duobus testibus esse invalida. Lex erat simul localis et personalis, et quia aliquando erat dificillimum determinare competentiam cuiusdam parochi propter illud aliud elementum legis ex quo competentia parochi dependebat, i. e. domicilium vel quasi-domicilium, Pius X promulgavit decretum " *Ne Temere* „, quo reguntur matrimonia a die Paschatis 1908. Cujus decreti disciplina fere integre sancita est Codice Iuris, ita ut sola lex vigens sit quidem Codex, interpretatio autem canonum ex isto iure veteri hauriri possit, quatenus cum isto iure congruunt (can. 6, 2^0 et 3^0). Porro Codex haec habet de re nostra: can. 1094: « Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus ». Isto nomine parochi venit, non solum sacerdos cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda, sed etiam, sicut in nostris regionibus, quasi-parochus, et vicarius paroecialis.

Quod ad limites quibus circumscribitur, competentia parochi continetur intra limites eius paroeciae in qua matrimonium contrahitur, nec, sub praesenti disciplina, requiritur *ad valorem* nuptiarum praesentia parochi proprii, quemadmodum ante Decretum « *Ne Temere* »; sed requiritur et sufficit praesentia parochi loci matrimonii, adeo ut coram ipso, eoque solo, valide contrahatur matrimonium sive subditorum sive non-subditorum. In hac re habetur *cardo mutationis* factae in lege clandestinitatis, introductae ad evitandas difficultates quae sub disciplina Tridentina exsurgunt ex non observata qualitate parochi proprii. Itaque parochus non potest, ut antea, valide assistere matrimoniis subditorum suorum extra limites suae paroeciae.

Intentio legislatoris inde est ut parochus competens sit iste qui habet iurisdictionem territorialem, non personalem, sed eius competentia, saltem quod attinet

ad matrimonia, limitatur limitibus regionis quae ipsius curae commissa est.

Quid tunc de parochis personalibus? Memorantur Codice C. 216 § 4: « Non possunt sine speciali Apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales ». Inde sunt parochi quibus paroeciani non subiciuntur ratione loci sed ex titulo personali, quia pertinent ad quendam ritum, vel ad determinatum coetum hominum, v. g. militum, vel ad quandam gentem seu nationem v. g. in Statibus Foederatis Americae, et in partibus Indiarum, ubi viget ius patronatus regis Lusitaniae. Haec subiectio parocho personali, vel est omnino soluta a condicione territorii, ita ut, ex solis familiis, sine ulla finium distinctione, parochi suos subditos cognoscant, vel potest circumscribi dioecesi aut civitate, aut regione ipsarum personarum; vel etiam, postquam parochi territoriales constituti sunt, portio fidelium alicuius civitatis v. g. Itali, subiciuntur parocho propriae nationis.

Inde sunt tres hypotheses:

1. Vel parochi non habent ullum territorium, ne cumulative quidem cum aliis, sed exercent iurisdictionem directe in personas et familias: sic cappellani castrenses. Isti sunt competentes quoad suos subditos, ubique, sed non quoad alios, nam secundum C. 451 « de iis standum est peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis », et sic praecise declaratum fuit a S. Congregatione Concilii, 1 feb. anno 1908, ad IX. Huius declarationes adhuc valere propter concordiam iuris antiqui et iuris novi, supra monuimus, appellando can. 6, 2^0 et 3^0.

2. Vel parochi habent quidem territorium, sed commune cum alio vel aliis: v. g. duo parochi curam habent incolarum eiusdem paroeciae, ita ut uni cura

incumbat incolarum talis nationis vel ritus, alteri cura incolarum alius nationis. Ambo possunt valide assistere omnibus matrimoniis quae in territorio celebrantur: cf. idem responsum 1 feb. 1908, ad VIII.

3. Vel parochi, praeter territorium proprium, etiam in territorio aliis assignato non nullas personas sibi personaliter subditas habent. Possunt hi parochi valide et licite celebrare nuptias suorum subditorum etiam in alio territorio, in suo vero *valide* etiam non subditorum.

Sed num subditi isti possint etiam matrimonium inire coram parocho territorii, non videtur prima facie ita certum. Circumstantiae omnino similes obtinent in mea dioecesi (Bombayensi, Indorum). Archiepiscopus Bombayensis in civitate Bombay habet iurisdictionem territorialem; Episcopus Damanensis, ex iure patronatus regi Lusitaniae concesso, habet in eadem civitate iurisdictionem personalem super omnes qui ex Goa ortum habent, quae civitas est territorium Lusitaniae. Inde exurgit quaestio: num sacerdotes Archidioecesis Bombayensis possunt assistere matrimoniis eorum qui non sunt sui subditi? Ex spiritu decreti *" Ne Temere "*, arguebat Archiepiscopus meus, omnis potestas parochorum fundatur in territorialitate, propter quam « nedum suorum subditorum sed etiam non subditorum » (Dec. *Ne temere,* IV § 2) matrimoniis valide assistunt parochi. Iam vero, si fideles habentes parochum personalem, non possent matrimonium inire coram parochis territorialibus, istud principium irritum fieret. Ex adversa parte arguebat Episcopus Damanensis, propter concordatum inter regem Lusitaniae et Apostolicam Sedem, habetur privilegium speciale quo parochi alieni impediuntur quominus iuribus decreto « Ne Temere » collatis, utantur. Causa Romam delata est, et anno 1910 decretum tulit Sacra Congregatio, fideles *teneri* se sistere coram parocho personali. Addidit

S. Congregatio verba « attentis peculiaribus circumstantiis » : nam, omnibus perspectis, nemo non videt non potuisse sine derogatione iuris communis eripi parocho territoriali competentiam ut ad parochum proprium transferretur : quod intentioni legislatoris directe repugnabat. Quare responsio ista supponit verbum factum cum Sanctissimo. Inde concludimus : si eaedem circumstantiae obtinent in alio loco, certo quidem certius possunt fideles valide inire matrimonium coram parocho territorii.

Nunc ad casum : Sacerdos Italus, parochus Ecclesiae Italicae in Statibus foederatis Americae, rogat utrum possit necne assistere matrimoniis Americanorum non subditorum.

In primis non loquor de urbe Neo-Eboracensi, ubi fideles cuiusvis nationis, possunt sese adiungere cuidam Ecclesiae, possunt in ea baptizari et matrimonium inire, dummodo solverint taxam pro sedibus (*pew-rent*).

Pro aliis regionibus est duplex hypothesis :

Vel isti sacerdotes Itali, v. g., sunt cum sacerdotibus Americanis parochi cumulativi. Sunt re vera parochi etsi habent curam tantum fidelium ipsorum nationis. In hoc casu, videtur eorum competentia sese extendere ad omnes fideles cuiusvis nationis in territorio cumulative habito, degentes.

Vel est alia hypothesis, et haec frequentior. Tota regio dividitur in paroecias territoriales, et constituuntur, si non parochi, saltem quasi-parochi territoriales. Dein, propter immigrantes, eriguntur Ecclesiae nationales, et isti sacerdotes Itali non habent nisi personalem iurisdictionem super Italos. Inde isti sacerdotes sunt competentes quoad matrimonia Italorum ; etiam Itali possunt inire valide matrimonium adstante parocho territoriali Americano. Sed non puto Americanos posse sese sistere coram sacerdote Italo : et assistentia

parochi Itali matrimoniis Americanorum foret invalida sine speciali delegatione parochi territorialis. Sine *speciali* inquam, delegatione. Non sunt enim vicarii cooperatores qui generali delegatione muniri possunt (c. 1096 § 1).

Et ratio mea est haec: talis assistentia fuisset contra spiritum et decreti « Tametsi » et decreti « Ne Temere », ac proinde Codicis: primo, quia nequaquam iste sacerdos Italus appellari potest parochus proprius Americanorum quibuscum nullam conexionem habet: secundo, quia praecise principium decreti « *Ne Temere* » et Codicis fuit fundare competentiam in territorialitate, quod principium incassum poneretur si Americani, degentes in territorio suo, possent valide coram parocho alieno matrimonio coniungi. In paroeciis territorialibus iurisdictio adhaeret territorio: in quacumque igitur parte territorii persona sit, attingitur a parocho territorii, cuius exclusivam competentiam non potest effugere habitando in territorio Italo; si quidem hoc non exsistat. Constitutio parochorum personalium a iure communi omnino exorbitat, nec potest supponi facta in eorum gratiam exceptio quae generali novi iuris normae deroget.

Exempla non pauca prostant quibus confirmatur sententia supradicta. Sufficit vero memorare duo. Parisiis, paucis abhinc annis, constituta est Ecclesia nationalis pro Belgis, quorum plures ignorant linguam Gallicam, et proinde indigent ministerio spirituali sacerdotum suae gentis, quibuscum etiam fidentius et liberius conversari possunt. Parochi isti Belgae habent competentiam matrimonialem quoad suos cives tantum, non quoad Gallos, qui fortasse illam Ecclesiam frequentant ratione propinquitatis aut alia quacumque causa. Secundum exemplum prodit ex ipsis Statibus Foederatis Americae: in urbe Buffalo sunt tres paroeciae Polonorum, sed, aliter atque in aliis urbibus,

unicuique Ecclesiae adiungitur certum territorium, ita ut parochi Poloni sint in praedicta urbe vere territoriales; proindeque iurisdictio eorum non solos Polonos afficit, sed limitibus territorii suae curae commissi continetur. Quis negaverit, illos valide et licite assistere matrimoniis Americanorum intra fines talis paroeciae degentium?

D.r L. RAYMOND
(ex Archidioecesi Bombayensi)

De electione et postulatione.

Species facti. In quodam monialium monasterio, ipsae Constitutiones a S. Sede approbatae, statuunt abbatissam in tres annos eligi, post quos elapsos iterum in tres annos absolute maiore parte suffragiorum eligi posse; duas autem tertias partes suffragiorum necessarias esse ut tertium eligatur; unanimem demum (moraliter) esse debere suffragationem, ut munus ei deinceps immediate continuetur. Sola autem valida suffragia computantur.

Praeterea postulatio, ad normam Codicis, exerceri permittitur.

Iam vero, decem moniales voce activa fruuntur; solae quinque autem voce passiva, cum desideretur in aliis quinque, sive aetas, sive antiquitas professionis.

De isto monasterio plura quaeruntur,

I. Tertia electio abbatissae, quae fieri nequit nisi duae tertiae partes suffragiorum in eam consenserint, *estne dicenda electio an postulatio?*

Resp. Esse postulationem colligere quispiam possit e litteris circularibus quas 9 martii 1920 *S. C. de Religiosis* misit ad Ordinarios locorum. Cfr. *A. A. S.*

XII, 365; vel *Periodica*, X, 195. In his enim Moderatrix generalis quae, ex Constitutionibus, tertium eligi possit si duae tertiae partes eidem faveant et accedat confirmatio S. Sedis, declaratur per se inhabilis, ita ut indigeat dispensatione, et proin non eligi sed postulari canonice debeat.

Nihilo minus, in Monasterio de quo agimus, tertia electio eiusdem personae ut abbatissae, non est consideranda ut postulatio sed ut vera electio.

Quod hac simplici ratione demonstratur, quod nullus recursus ad S. Sedem in casu requiratur.

Hoc praeterea utiliter additur, litteras anni 1920 scriptas esse ut severitate sua nimis frequentem coopationem eiusdem personae in Moderatricem generalem in posterum impediant, interpretationem autem propositam Constitutionum quae expresse permittunt ut Antistita tertium eligatur accedente Confirmatione S. Sedis, pro restrictiva habendam esse. Etenim, cum ipsae Constitutiones condiciones ponant tertium iteratae electionis, ipso verbo *eleetionis* quo utuntur demonstrant ab iis non postulationem sed electionem esse intentam. Quare, in novis Constitutionibus simpliciter negatur Antistita tertium immediate eligi posse, quo casu manifestum est eam non posse tertium nisi postulari; sed ut ipsi dein audivimus ex ore Secretarii S. Congregationis, electio facta ad normam explicite Constitutionibus permissam nequit esse postulatio. Ipsis enim verbis quibus dicunt personam his condicionibus eligi posse, eam docent esse, istis condicionibus, habilem ut eligatur. Postulatio, e contrario, personam inhabilem supponit.

Ad primum quaesitum igitur, sine ambagibus respondemus, in praefato monasterio agi de vera electione, quando, etiam tertium vel quartum, numero suffragiorum requisito abbatissa cooptatur in Antistitam.

II. Quid refert tertium istud scrutinium esse electionis potius quam postulationis, praesertim cum in utroque casu duae tertiae partes suffragiorum requirantur?

Resp. Duplex ratio discriminis observanda est. 1. Quando mere agitur de iterata electione, electrices mere ad eligendae dignitatem seu qualitates attendere debent; dum, quando agitur de postulatione, graves praeterea requiruntur condiciones ad dispensandum ab inhabilitate, ut ipsis mox allegatis litteris *S. C. de Religiosis* docemur. — 2. Severae regulae de postulatione observandae sunt, si abbatissa vere postulari debet, ita ut concurrens cum electione, duas tertias partes suffragiorum adipisci debeat; quae nisi obtentae fuerint, electa statuitur quae inter eligibiles maioritatem mere relativam assecuta fuerit, quasi neglectis suffragiis postulantium. Hoc modo potest persona in abbatissam cum valde paucis suffragiis cooptari. Ius istud non videtur nobis transferri posse ad electionem pro qua duae tertiae partes suffragiorum exigantur. Per se enim est satis exorbitans, nec periculo vacat committere regimen monasterii personae quae pauca tantum suffragia obtinuerit. Neque est analogia inter duas electiones et electionem concurrentem cum postulatione. Ideo non potest appellari can. 20, ut propter analogiam eodem modo consideres personam *eligibilem,* sed cui duae partes suffragiorum necessariae sunt, et personam *inhabilem,* quae non potest nisi postulari.

III. Quando decem sunt electrices, *quot suffragia efficient duas tertias partes suffragiorum?*

Resp. Septem ad id opus sunt. Si enim decem in tres partes diviseris, singulae redduntur numero 3,33, ita ut duae tertiae partes sint 6, 66. Itaque duae tertiae partes superant sex numero, nec proin esse possunt nisi 7, cum suffragium nequeat in partes distribui.

IV. Quid igitur iuris, si in tertio scrutinio, Moderatrix non consecuta sit duas tertias partes suffragiorum,

pro tertia sua *electione* necessarias, plura tamen obtinuerit quam altera persona *eligibilis;* nec persona *postulata* obtinuerit duas tertias partes suffragiorum ?

Resp. Neminem tunc esse cooptatam in abbatissam: non postulatam monialem, cum desiderentur duae tertiae partes suffragiorum ; non abbatissam, propter eandem causam ; non alteram monialem eligibilem, cum non obtinuerit maioritatem relativam inter eligibiles. Itaque nova scrutinia erunt tentanda, donec duabus tertiis partibus suffragiorum, vel monialis postuletur vel abbatissa eligatur, vel alia persona eligibilis relative maiorem numerum suffragiorum eligentium acquisierit. Si hoc nimis difficile demonstretur, ad S. Congregationem recurri potest.

Si autem persona eligibilis plura obtinuerit suffragia quam abbatissa nec duae tertiae partes quampiam postulaverint, persona eligibilis evadet legitima Moderatrix. *Pont. enim Commissio,* 1 iul. 1922, respondit : inter eligendos valde eligi eum qui obtinuerit maioritatem relativam, excluso hoc quoque in casu, postulato. *(A. A. S.* XIV, 406; *Per.,* XI, 121).

A. VERMEERSCH, S. I.

Dubia quaedam de ritibus Missae, de praecepto audiendi Missam, de praesentia in ordinatione.

I. De oratione ad libitum.

1. Quando tertia oratio est ad libitum, *quaenam oratio a sacerdote seligi potest?*

Fuere qui putarent orationem istam necessario seligendam esse inter orationes diversas quae in Missali antiquo ponuntur post Missam pro sponso et

sponsa, in novis autem post Missam pro gratiarum actione.

Fortasse moti sunt verbis quibus orationes istae inscribuntur, sive ante ultimam Missalis editionem: « Orationes diversae, dicendae ad libitum sacerdotis, cum iis quae in propriis missis assignantur, quando non est festum duplex »; sive in novis Missalibus: « Orationes dicendae ad lubitum sacerdotis, iuxta rubricas ». Sed nullo verbo facultas ista declaratur esse exclusiva. Eligi potest pro lubitu, ait R. P. Haegy, in opere suo " *Manuel de liturgie et Cérémonial* „ p. 281, n. 87, sic repetens quod habent *Additiones et variationes in rubricis Missalis* § 6, initio: « In Missis cantatis et conventualibus eligitur ad libitum Praefecti Capituli vel Superioris Communitatis; in Missis privatis vero, et, ubi Capitulum et Communitas desit, etiam in cantatis, ad libitum Celebrantis. »

Quia tamen oratio ista dicitur extra diem assignatam pro festo, assumitur ut *votiva*, ac proin pertinere debet ad Missam quae more votivo celebrari possit, ut optime observat, l. c. R. P. Haegy.

2. Novae rubricae Pii X permittunt, quod antea non licebat, ut oratio imperata ab Ordinario, eligatur oratio ad libitum (*Additiones et variationes*, l. c.) Quia fit ut duae sint orationes imperatae, quaeritur *utrum necne*, ad arbitrium sacerdotis, utralibet, *sive prior sive posterior a sacerdote eligi queat.* Ac respondetur alterutram eligi posse, tam posteriorem quam priorem. Nihil enim est in rubricis quae facultatem optionis ad priorem limitet.

II. De numero orationum.

Secundum novas rubricas, quotiescumque, sine collectis habeas quattuor orationes, oratio imperata (nisi sit pro re gravi) supprimenda est. Cur tamen,

quando duae sunt orationes imperatae et tres sint orationes iam in Missa dicendae, *posterior imperata non est omittenda?* Nam sine ea iam habentur quattuor orationes?

Ratio est quia duae istae orationes imperatae censentur per modum unius praescriptae.

III. De oratione sub unica conclusione.

Quando oratio pro gratiarum actione dicitur sub unica conclusione cum oratione Missae, *suntne* sic unitae *considerandae ut duae an ut una,* composita duabus orationibus, per se separatis? Si eas sumas ut duas, tunc, si praeterea habeantur duae commemorationes, iam completus erit numerus quattuor orationum, ita ut imperatae collectae (nisi pro re gravi), supprimendae sint. Contra, hae erunt addendae, si oratio Missae et coniuncta conclusione oratio pro gratiarum actione, pro una tantum oratione sumantur.

Resp. Id controvertitur, ita ut utraque pars a celebrante eligi possit. Nobis autem praeferenda videtur sententia quae, ex utraque oratione, unam esse compositam existimat. Deficiente enim propria Missa pro gratiarum actione, alia eius locum tenet, ita ut oratio pro gratiarum actione tamquam prima oratio istius Missae pro gratiarum actione habenda sit. Praeterea naturae rerum magis consentaneum est ut pro una sumantur quae per modum unius dicendae sunt.

IV. Potestne ista Missa pro gratiarum actione etiam ex privata devotione hoc modo celebrari?

Resp. Nihil privato usui istius ritus obstare, dummodo dies sit qua, iuxta calendarium ecclesiae, missae votivae permittantur.

Observes autem eandem orationem pro gratiarum actione addi posse vel imperari posse tamquam quar-

tam orationem seu collectam. Neque aliter assumi potest si Missa dicenda sit cuius oratio non possit cum oratione pro gratiarum actione uniri. Tales sunt Missae de Dominica et Missae feriales.

V. Cum Rubrica dicat: « Pro gratiarum actione sumatur Missa de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Beata Virgine vel de Sancto », **nonne eligi etiam possit Missa de SS. Corde Iesu, vel alia quae ut votiva celebrari permittitur etsi non sit de Sancto?**

Resp. Quam diu benigna declaratio S. Rituum Congregationis non intervenerit, nulla facultatis extensio privatis permittitur. Sed, cum tam late pateat optio inter Missas *de Sanctis,* restrictio ad paucas Missas *de mysterio*, quae nullam optionem explicite permittit nisi trium Missarum, videtur hodie minus congruere cum nova rubrica. Quocirca, si interrogetur S. Rituum Congregatio de modo quo, in festo SS. Cordis Iesu, Missa pro gratiarum actione offerri possit vel debeat, non mirabimur si respondeatur orationem pro gratiarum actione sub unica conclusione coniungendam esse cum oratione Missae, sicut, iam ante novas rubricas, responsum est de Missa sanctorum.

V. Die 23 octobris anni 1927, imperata fuit, tamquam pro re gravi, collecta pro Fidei propagatione. Missa erat de Dominica, cuius altera oratio erat *A Cunctis*, tertia autem ad libitum. Porro in Urbe, duae erant Collectae imperatae: pro Papa et contra tempestates. **Potuitne quispiam assumere ut tertiam, orationem de SS. Corde, dicere ut quartam, collectam pro fidei propagatione, et omittere ambas solitas collectas imperatas?**

Utramque omitti potuisse censemus. Quotiescumque enim, sine collectis ab Ordinario praescriptis, iam ha-

bentur quattuor orationes, collectae omittendae sunt. Ita, v. g. quando oratio *Fidelium* est ut tertia (paenultima) dicenda, neutra collecta imperata iam addi potest. Dices tamen, in casu non agi de oratione rubricis praescripta sed de nova collecta imperata, ita ut sola postrema sit omittenda, quia Ordinarius duas tantum collectas imperare queat. Quod non esse improbabile concedimus. Verum nova ista collecta, semel tantum dicenda et rescripto *S. R. C.* praecepta (1), nulla ratione coniungitur cum collectis ordinariis, ita ut alterutra collecta ordinaria cum ea unum quidpiam efficeret. Iam vero, cur post tres orationes Missae duae collectae dicendae sint, haec ratio allegatur, ambas per modum unius esse imperatas. Secus omitti deberet posterior, cum sine ea habeantur quattuor orationes. Cum ratio ista hic deficiat, existimanus aliter respondendum esse, ita ut post separatam istam collectam pro Fidei propagatione, nulla oratio ut quinta dicatur addenda.

VI. Ordinibus religiosis commune privilegium est ut in oratione *a Cunctis*, ad litteram N. nominent proprium fundatorem.

Quid autem si celebrent in oratorio vel ecclesia in qua proprius titularis nominandus est?

Respondemus, utrumque nominandum esse, servato ordine dignitatis. Quod constat ex ipsa declaratione *S. Rituum Cong.* 2. dec. 1891 : Regulares (in Missa) in oratione *a cunctis,* posse ad litteram N. nominare proprium S. Fundatorem, dummodo Titularis (sic), (si nominari queat) non omittant, servato tamen ordine dignitatis in rubricis praescripto » *Decr. auth.* n. 3758.

(1) Rescr. 14 april. 1926. Cfr. *A. A. S.*, XIX, 23, vel *Per.*, XVI, 34.

Licetne Regularibus nominare proprium Fundatorem etiam quando celebrant in Ecclesia aliena?

Respondemus id licere, cum videatur esse privilegium personale, quo ubique quis uti permittitur. Confirmamur usu Regularium qui, ex privilegio speciali, nominant s. Fundatorem *in confiteor:* hi Fundatorem nominant ubique.

VII. Quando simplex sacerdos, obtento indulto, missam celebrat **in navi** in alto mari, **satisfitne praecepto ecclesiastico, assistendo isti missae?**

Consulto loquimur de simplici sacerdote, ne interveniat privilegium Cardinalium et Episcoporum, quibus concessum est ut fideles audientes missam quam ipsi celebrent in altari portatili vel aliam quae in Cardinalis vel Episcopi commodum celebretur, praecepto satisfaciant (*S. R. C.* 19 maii 1896, *Decr. auth.* n. 3906).

Quaestioni isti occasionem dedit erudita disputatio quam R. P. W. Boeing, M. S. C., scripsit in *Nederlandsche Katholieke Stemmen,* 1927, p. 260 ss., hoc titulo: *De verplichting van mishooren voor reizigers op zee* (Quanam obligatione audiendi missam teneantur navigantes in itinere maritimo).

Ibi enim contendit, in navibus quae non sunt instructae stabili oratorio, quod, ex decl. *S. R. C.* 4 mart. 1901 (*Decr. auth.,* n. 4069 ad V) pro publico haberi debet, nullam copiam adesse satisfaciendi ecclesiastico praecepto audiendi missam, nisi haec celebretur ab Episcopo vel in Episcopi commodum, vel supra navis pontem.

Rationem affert canonem 1249: « Legi de audiendo sacro satisfacit qui Missae adest quocumque catholico ritu celebretur, sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis de quibus in can. 1190, non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit ».

Exceptio de Missa celebrata ab Episcopo vel in Episcopi commodum (atque idem dicendum est de Missa Cardinalis vel in commodum Cardinalis) supra iam indicata est; exceptio de Missa celebrata supra pontem ipso can. 1249 demonstratur, cum tunc litetur sub dio.

In *Epitome iuris canonici,* II, n. 563 (ed. 2 et 3) diversimode opinati sumus, existimantes satisfieri praecepto saltem si Missa audiatur in communi aliquo navis loco.

Fas nobis sit pro ista posteriore sententia haec dicere.

Secundum mox allegatum responsum ad V, cappella (seu altare) quae in navi locum fixum non habet, « neque publica est neque privata, sed habetur uti altare portatile ».

Iam vero, c. 1249, postquam in definiendis locis in quibus assistentes Missae legi de audiendo Sacro satisfaciunt versatus est, *sola* (salvo privilegio Apostolico) exclusit *oratoria* privata.

De assistentia Missae quae in altari portatili celebretur nihil pronuntiat, nisi quando sacerdos sub dio celebret: quo casu docet nos praecepto Missae audiendae ab assistentibus tunc satis fieri.

Nec locus ubi in altari portatili litatur, aequiperari potest cum oratorio privato, cum, ex ipsa *S. R. C.* locus iste negetur esse oratorium sive publicum sive privatum.

Ceterum, ipse R. P. Boeing concedit satisfieri praecepto in locis missionum ab iis qui ibi missam audiant in altari portatili celebratam.

Tunc enim, sic ipse, indultum conceditur in gratiam ipsorum fidelium, non ipsius celebrantis; quam mitiorem responsionem extendit etiam ad Missam quae in navi a cappellano navis celebretur.

Verum nonne potius dicendum est causam omnis indulti huiusmodi esse mixtam: tum ne sacerdos privetur gratia offerendi sacrum, tum ut catholici navigantes occasione sacri audiendi frui possint?

Ut nobis videtur, deficiente expressa dispositione, ex analogia, secundum can. 20, recta solutio quaerenda est. Cur explicite declaratur praecepto sufficere Missam sub dio celebratam, nisi quia locus iste maxime publicus est? Dicemus igitur eidem praecepto audiendi Missam sufficere Missam quae in altari portatili celebretur, quotiescumque altare istud erigitur in loco publico. Iam vero, navis ut locus vere publicus habendus est. Sin aliter, cappella quae ibi locum fixum habet non potuisset declarari *publica*.

Ergo, saltem quando in parte navis ad quam omnes iure accedere possunt, missa celebratur, christiani praesentes praecepto audiendi Missam satisfaciunt.

Corollarium. Si, die festivo, praecepto audiendae Missae satisfacere possunt, Missa audienda tenentur.

VIII. **De utili praesentia in ordinatione.**

Species facti. Cum in civitate episcopali generales ordinationes haberentur, accidit ut duo diaconi qui ad gradum presbyterorum erant promovendi, inexsuperabili obstaculo, eoque nullatenus praeviso, prohibiti fuerint ab initio ordinationis generalis adesse. Advenerunt igitur post lectum mandatum et factas non nullas ordinationes minores, sed ante quam archidiaconus vocasset ordinandos ad ordinem presbyteratus. Eos introducere vel Episcopo praesentare praefectus caerimoniarum non est ausus, ita ut frustra e longinquo advenerint ad ordinem istum recipiendum.

Postea autem mota est quaestio **utrum necne praefectus** iste **nimia severitate peccaverit.**

Resp. Ipsos introduci licite non potuisse sine expressa venia Episcopi ordinantis, per se liquet.

Quaestio autem duplex poni potest: 1. *Eratne Episcopo integrum eos ordinare;* 2. *Eratne hoc opportunum?*

Ad priorem quaestionem respondemus, licuisse Episcopo ut ipsos ordinaret. Etenim, in Mandato quod in initio legitur, praecipitur ut « nullus ex ordinatis discedat nisi Missa finita et benedictione Pontificis accepta »; accessus etiam prohibetur iis qui non fuerint examinati, descripti, approbati et nominati. Diaconi erant descripti, examinati et approbati. Non fuere quidem *nominati;* sed, cum praeceptum nomine Episcopi datum esset, ipse Episcopus defectum istum suo assensu supplere poterat. Nulla autem ex alio fonte prohibitio demonstraretur.

Igitur, memorando celebratum istud: licent quae non prohibentur, haec nobis suppeditatur conclusio: in potestate Episcopi fuisse ut ambos diaconos valide et licite in presbyteros cooptaret.

Non omnia tamen quae licent expediunt. Quare haec altera quaestio solvenda est. Fuitne opportunum ut ambo admitterentur?

Ac profecto, cum ordinatio ministrorum sacrorum sit in se res gravissima, sedulo cavendum est ne quidpiam de eius decore detrahatur. Manifestum autem est nullatenus admitti posse ut ordinandi incipiant indulgenti benignitate Episcopi fidere ut non tempestive ab initio ordinationi intersint. Rursus tamen consideranda est causa cuiuspiam morae et incommoda dilatae ordinationis, praesertim sacerdotalis.

In casu proposito, nihil omnino duobus diaconis obici potuit. Cum essent extranei, parentes e longinquo advenerant non sine notabili sumptu. Dilatio etiam paucorum dierum sumptus istos non leviter augebat.

Itaque conclusio nostra haec erit: per se quidem non est opportunum ut Episcopus sero adventantes ad ordinationem admittat; in casu tamen peculiari,

sicut in praesenti, locum esse rationabili exceptioni, negandum non est.

X. Praestat hac uti occasione, ut plenius quam fecimus supra, p. 51 et 52, explicemus **qua ratione ordinandae sint Missae quando,** ut in templo S. Ignatii, **expositio XL Horarum incipit die 30 octobris et die 1 nov. finem habet.**

1. Die 30 octobris, occurrit per se, in praefata Ecclesia, Festum S. Alphonsi Rodriguez, ritus duplicis 2 classis. — Eadem tamen die, si fuerit sabbatum, occurret *vigilia* festi *Omnium Sanctorum ;* et, si sit Dominica, Festum *Christi Regis.* Haec igitur distinguenda sunt. Itaque :

a) Si nec vigilia nec Festum Christi Regis occurrerit, Missa sollemnis Expositionis erit de SS. Sacramento, addita, sub distincta conclusione, commemoratione festi S. Alphonsi.

Missae privatae erunt de S. Alphonso, cum praefatione communi ; atque in iis fiet, sub distincta conclusione, commemoratio SS. Sacramenti. Ultimum evangelium erit de S. Ioanne.

b) Occurrente vigilia festi Omnium Sanctorum, Missa sollemnis omnino celebrabitur sicut modo, sub a) dictum est, quia sollemnitas Missae omnem commemorationem vigiliae excludit.

In Missis privatis, quae erunt de S. Alphonso, addetur commemoratio vigiliae. et dein commemoratio Sanctissimi Sacramenti. Ultimum evangelium erit de vigilia.

c) Occurrente festo Christi Regis, festum S. Alphonsi transfertur in Feriam II, quae tunc erit 31 octobris.

Quocirca, die 30 octobris, Missa sollemnis expositionis erit de Christo Rege, cui sub unica conclusione addetur commemoratio SS. Sacramenti. Addetur

deinde sub distincta conclusione commemoratio de Dominica, cuius etiam ultimum evangelium legetur.

Missae privatae erunt de Christo Rege. In iis, sub distincta conclusione, fiet commemoratio de Dominica et de SS. Sacramento. Legetur ultimum evangelium Dominicae.

2. Die 31 octobris, plerumque occurrit vigilia festi Omnium Sanctorum. Occurrere praeterea potest festum Christi Regis (si fuerit Dominica) et Festum translatum S. Alphonsi (si fuerit Feria secunda).

a) Occurrente vigilia Omnium sanctorum, Missa sollemnis *pro Pace* habebit, sub distincta conclusione, commemorationem de SS. Sacramento. Vigilia in ea non commemorabitur neque eius evangelium in fine Missae legetur. Praefatio erit communis. Symbolum semper inserendum est.

Missae privatae erunt de vigilia. Orationibus per rubricas praescriptis adiungetur, ante Collectas imperatas ab Ordinario, commemoratio de SS. Sacramento.

b) Occurrente festo Christi Regis (proin in Dominica) Missa sollemnis erit de Christo Rege. Primae orationi, sub unica conclusione addetur commemoratio de Missa pro Pace ; dein, sub distincta conclusione, commemoratio Dominicae et commemoratio de Sanctissimo. Ultimum evangelium erit Dominicae.

In Missis privatis, addetur sub distincta conclusione, post commemorationem Dominicae, commemoratio de SS. Sacramento. Ultimum evangelium erit Dominicae.

c) Occurrente festo S. Alphonsi, Missa sollemnis erit pro Pace. Commemorationi de S. Alphonso addetur commemoratio de SS. Sacramento. Nihil de vigilia in ista Missa.

Missae privatae erunt de S. Alphonso. Fiet commemoratio vigiliae, dein SS. Sacramenti. Praefatio erit communis ; ultimum evangelium erit vigiliae.

3. Die 1 novembris (repositionis) potest occurrere, praeter Festum Omnium Sanctorum, dies Dominica.

a) Si non incidit in Dominicam, Missa sollemnis erit de Festo O. S. Sub unica conclusione fiet commemoratio de SS. Sacramento. Praefatio erit de Nativitate, sicut ultimum evangelium.

In Missis privatis addetur, sub distincta conclusione, commemoratio de Sanctissimo. Praefatio erit communis ; evangelium ultimum erit S. Ioannis.

b) Si inciderit in Dominicam, Missa repositionis erit de festo Omnium Sanctorum ; sub unica conclusione fiet commemoratio de SS. Sacramento. Sub distincta conclusione, fiet commemoratio de Dominica. Praefatio erit de Nativitate; ultimum evangelium erit de Dominica.

In Missis privatis, secunda oratio erit de Dominica; tertia de Sanctissimo Sacramento; praefatio erit communis; ultimum evangelium erit de Dominica.

Quid autem si, ut interdum accidit, v. g. propter annum bissextilem, in ecclesia S. Ignatii dies repositionis sit dies 2 novembris?

Resp. 1. Si ista dies sit Dominica, nulla inde erit difficultas. Contra. Etenim tunc nihil obstabit Missae sollemni de SS. Sacramento; et, sub distincta conclusione, ad orationem Missae addetur commemoratio Dominicae. Ultimum evangelium erit Dominicae.

Missae autem privatae erunt de Dominica cum commemoratione (sub distincta conclusione), SS. Sacramenti. Haec commemoratio sequi debet orationes rubricis praeceptas, praecedere vero collectas. Si tertia oratio fuerit ad libitum, videtur ut tertia assumi posse. Sic etiam R. P. Pauwels, *Nouv. Revue Théol.* 1927, p. 700.

2. Extra Dominicam autem, facienda erit sollemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, quae aequiperatur Festis sollemnioribus primariis ritus duplicis primae classis.

Quare, excluditur illa die Missa votiva de SS. Sacramento. Neque in Missis defunctorum commemoratio de SS. Sacramento locum habere potest. Itaque:

a) Ad altare expositionis, nulla dicetur missa ante repositionem SS. Sacramenti, faciendam cum processione. Post istam repositionem, cantabitur ibi, apparatu nigro, Missa de die Commemorationis omnium fidelium de functorum.

b) Ad alja altaria, Missae omnes erunt privatae pro defunctis, sed, quam diu exponitur SS. sacramentum, legentur apparatu violaceo.

Haec colligimus ex Responso, Urbis et Orbis, 26 febr. 1919, (*A. A. S.*, XI, 142; *Per.*, X, 78, et nunc etiam, *Decr. auth.* n. 4351).

N. B. 1. Quem ad modum observat R. P. HAEGY *Manuel de liturgie,* p. 228, n. 100, in Missa sollemni coram Sanctissimo exposito, oratio de SS. Sacramento non dicitur sub una conclusione cum oratione Missae, nisi quando nulla alia commemoratio facienda est. Quotiens enim alia habetur commemoratio, v. g. de Dominica, oratio de SS. Eucharistia cum illa commemoratione coniungitur. Cur igitur aliter solvitur casus de ista oratione, quando in die expositionis vel repositionis, Missa de Sanctissimo Sacramento alia sollemnitate impeditur?

Resp. Sic diximus, primo quia Instructione *S. R. C.* 27 april. 1927, *de Missis in oratione XL Horarum*, n. 1, absolute praecipitur ut Commemoratio de Missa impedita fiat sub unica conclusione cum prima oratione. Et casus diversus est ab eo qui obicitur. In Missa sollemni coram Sanctissimo exposito, commemoratio de SS. Sacramento, mere qua talis additur, nullo modo autem ut vestigium Missae impeditae. Quare sub unica conclusione ponitur, mere ut Missa sollemnis non videatur habere plus quam unicam orationem. Quod quando, propter alias commemorationes, iam fieri

nequit, nulla causa iam est cur commemoratio per modum unius cum oratione Missae coniungatur. Quando autem ipsa Missa est impedita, tunc servanda est analogia cum Missa pro gratiarum actione, cuius oratio sub unica conclusione cum prima oratione alius Missae coniungitur, quamvis plures aliae sint commemorationes faciendae.

2. Quaeres etiam, cur, quando Missa repositionis cantanda est in Dominica quae sit prima dies novembris, praefatio assignetur de Nativitate, dum ultimum evangelium est de Dominica?

Resp. Ultimum evangelium est de Dominica, quia *Additiones et Variationes in rubricis Missalis,* IX, 1, absolute praecipiunt ut evangelium ultimum sit de Dominica quotiescumque commemoratio de Dominica facta fuerit (nisi fuerit idem evangelium quod iam in Missa lectum sit).

De Praefatione autem ibidem, VIII, 1, non habetur ista exceptio in gratiam diei Dominicae. Quare observanda est haec altera regula: « In qualibet Missa dicitur semper eius Praefatio propria, si habeatur; secus propria Missae sive Officii primo loco inter cetera quae Praefationem propriam habeant commemorati ».

Solutio casus de Missae integritate et defectibus, propositi, p. 179*.

Quamvis de nulla re anxius esse debeat qui recta mente egit, ita ut testimonium habeat bonae conscientiae, facile nobis explicatur sollicitudo quae, per sollemnem pompam, animum Abundii etiam inviti invasit.

I. Plures enim, nec spernendos errores commisit. Etenim: - 1. Magis in dies invalescit sententia quae negat panem valide consecrari posse a sacerdote quin simul velit sacrificium Novae Legis Deo offerre. Sacri-

ficium autem non habetur in una separata consecratione. Quare dubii valoris est consecratio hostiae ipsi allatae post peractam Missae consecrationes. - 2. Seminarista quidem recte existimavit utramque speciem per se consecrandam esse simul; sed postquam, sine huiusmodi intentione, Abundius consecrationem supra speciem panis iteraverat, non poterat nova consecratione defectum anterioris intentionis supplere. - 3. Nec potuit Abundius hoc modo duo sacrificia miscere velle. Numquam hoc genus binationis admissum est. - 4. Dum, non ieiunus alterum calicem bibit, servata hostia secundo loco consecrata, violavit legem ieiunii eucharistici, et praeterea graviorem legem qua species panis ante speciem vini sumenda est.

II. *Quid facere debuisset?* Omissa omni iterata consecratione, Hostiae pro processione hoc modo prospicere poterat: si aderat sacerdos ieiunus, is poterat statim ac defectus innotuit, missam celebrare, atque in ea duas hostias consecrare uno actu. Alterutra poterat, cum res urgeret, statim post peractam consecrationem in ostensorio collocari; poterant etiam sumi una vel altera hostia minor, iam consecrata, et poni in lunula. Unam vel alteram dico, si genus lunulae permittat ut hac ratione defectus hostiae maioris melius dissimuletur. Poterat tandem Abundius modicissimam partem hostiae maioris quam consecraverat, sibi pro communione sumere, reliquam partem vero imponere ostensorio.

Si hostia minor adhibetur, *estne fas,* ad rem tegendam, *retro eam ponere hostiam maiorem non consecratam,* ita ut in lunula sit hostia minor consecrata et hostia maior non consecrata? Id fas esse negamus, quia, hac ratione, inducitur quaedam confusio cultus. Actus adorationis a populo dirigerentur versus hostiam maiorem, non consecratam.

PARS ALTERA

MONUMENTA

57. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla " Rerum condicio „ 4 oct. 1927

RECOGNITAM REGULAM TERT. ORD. REG. S. FR. APPROBANS

(A. A. S., 3 nov. 1927, XIX, 361)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Calamitosa moralis rerum condicio, exeunte saec. XII et aliquanto serius.

Rerum condicio ea erat, in Italia praesertim, sub exitum saeculi duodecimi aliquantoque serius, ut, quamvis universe christiana societas in fide consisteret, homines tamen nimis multi, fluxarum rerum cupiditate distenti vitaeque superbia elati, in omnem morum pravitatem erumperent; atque, elanguescente iam caritate Christi, odia usquequaque foverent et civitates ad intestina bella calamitose impellerent. Nihil igitur optatius tum esse poterat quam ut singularis vir a Deo excitaretur qui, virtutum omnium laude praecellens, et opportuna remedia his malis afferret et populos ad christianos spiritus revocaret. Iam vero nemo ignorat societatis eorum temporum emendandae munus praecipue Francisco Assisiensi divinitus demandatum esse, qui effrenatis vitiis studium opponens christianae humilitatis et paupertatis, mutua omnes caritate coniungere studuit. Itaque cum plurimi undique ad tantum virum confluerent discipuli, in immensum sane succrevit Franciscalium Familia, cum ex sodalibus trium Ordinum quos Franciscus ipse constituit, tum deinceps ex iis tertiariis qui, perfectioris vitae cupidi, communem vitam agentes, *sodales Tertii Ordinis Regularis* nuncupati sunt. Merito igitur hi quoque Seraphici Patris memoriam, septimo exeunte saeculo ab obitu eius sanctissimo, non solum

Munus emendandi societatem S. Francisco commissum.

Origo tertii Ordinis regularis, huiusque laudes.

piis supplicationibus sollemnibusque sacris publice habitis, sed etiam actuosioris pietatis propositis laeto animo per hunc annum celebrarunt. Etenim omnes norunt quam diligenter, inde ab instituti sui initio, tertiarii regulares sanctum Francisci spiritum induere contenderint, eundemque in multa religionis et caritatis opera traducere consueverint. Quapropter factum est ut Decessor Noster Leo PP. X, Constitutione data *Inter cetera*, eorum Regulam comprobaret. Atqui, ut in humanis rebus contingit, plura quidem, decursu temporum, quae a Leone PP. X decreta fuerant, vel prorsus obsolevere vel cum quibusdam Codicis iuris canonici praescriptis non omnino consentiunt. Quamobrem necesse fuit ut illa Leonis X lex ad nostra haec tempora itemque ad recentiora Ecclesiae decreta accommodaretur, ut Tertiarii Regulares, aliaeque multiplices votorum simplicium religiosae familiae quae, cum in suum ipsarum institutum Francisci spiritum induxerint et franciscali nomine utantur, Franciscum Patrem quodam modo habent, novum inde incrementum capientes, alacritate vel maiore optime de christiana civilique re mereri pergerent. Itaque legis huiusmodi emendandae munus Sacrae Congregationi negotiis Religiosorum praepositae mandavimus, quae, cum novam *Regulam* franciscali spiritu plenius imbutam et hodierno Ecclesiae iuri congruentem confecisset, eam ipsam Nobis approbandam pro officio subiecit; cuius quidem Legis ea sunt capita quae hic referuntur.

Iis regula data a Leone X.

Necessitas eam ad tempus et ius novum aptandi.

Facta accommodatio.

REGULA TERTII ORDINIS REGULARIS SERAPHICI PATRIS S. FRANCISCI

Caput I

Summa vitae religiosae

Forma vitae.

1. Forma vitae Fratrum et Sororum Tertii Ordinis regularis sancti Francisci, haec est: Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, castitate et paupertate.

Votum oboedientiae.

2. Fratres et Sorores, ad imitationem Patris Seraphici, promittunt obedientiam et reverentiam Domino Papae et Ecclesiae Romanae. Tenentur etiam obedire Superioribus suis canonice institutis, in omnibus quae respiciunt finem generalem et specialem proprii Instituti (Ex Reg. I et II Ordinis, cap. I).

Caput II

De novitiatu et professione

Candidatorum admissio.

3. Fratres et Sorores ad hunc Tertium Ordinem recipiendi debent esse fideles catholici, de haeresi non suspecti, in obedientia Romanae Ecclesiae firmi, matrimonio non ligati, debitis expediti, corpore sani, animo prompti, nulla vulgari infamia maculati, cum proximis reconciliati. Et de iis omnibus, ante quam recipiantur, ab eo qui recipiendi habet facultatem, sunt diligenter examinandi (Regula III Ord. a Leone X approbata, cap. I), sacris canonibus Constitutionibusque propriis servatis.

Noviciatus

4. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas. Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada (can. 566 § 1 et 2).

Professio.

5. Expleto tempore probationis, qui idonei inveniuntur, ad professionem admittantur.

Caput III

De caritate erga Deum et proximum

Studium caritatis.

6. Remotis per tria sacra vota obstaculis, quae sanctimoniam impediunt, Fratres et Sorores contendant legem divinam implere, quae tota pendet in caritate erga Deum et proximum. Caritas est omnium virtutum forma et vinculum perfectionis. Ad mortificanda vitia, ad proficiendum in gratia, ad consequendam virtutum omnium summam, nihil melius, nihil validius caritate.

Cultus SS. Eucliar.

7. Magnum signum et adiumentum dilectionis in Christum est frequens, imo quotidianus accessus ad SS. Eucharistiam, quae simul est et sacrum convivium et memoria Passionis eius. Sit quoque religiosarum animarum cura Dominum Iesum, sub mirabili mysterio nobiscum manentem, frequenter visitare ac devote venerari: hoc enim maximum est Sacramentum in Ecclesia et fons inexhaustus bonorum omnium.

Caritas erga proximum.

8. Probatio autem dilectionis in Deum est exercitium caritatis erga proximnm; ideo in vero Christi discipulo caritas in

proximum maxime eluceat; omnis locutio sit ordinata, utilis et honesta; ut caritas abundet in opere, necesse est eam in corde prius abundare.

Caput IV

De divino officio, oratione et ieiunio

Divinum officium.

9. Fratres et Sorores, prout propriae Constitutiones ferunt, digne, attente ac devote divinum officium persolvant. Conversi vero et Conversae dicant duodecim *Pater* pro Matutino et Laudibus, pro qualibet alia hora canonica quinque.

Missa. Adhortatio spiritualis.

10. Quolibet autem die, nisi legitime impediantur, debent Missam audire, et procurare quod habeant pium sacerdotem ab Ordinario loci probatum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat et eos ad poenitentiam et virtutes inducat (Reg. III Ord. cit., cap. IV).

Examen conscientiae.

11. Debent etiam quolibet die intra se et Deum, cogitare quid fecerint, dixerint et cogitaverint, seu conscientiae examen peragere: de propriis culpis veniam humiliter petere ac emendationis proposita Deo offerre et commendare (Reg. cit., cap. IV).

Meditatio Passionis Christi.

12. Curent omnes per frequentem Christi Passionis meditationem devotionis fervorem quotidie nutrire et fovere; Seraphicum Patriarcham sequantur et imitentur, ut valeant et ipsi cum S. Paulo exclamare: « Christo confixus sum cruci ». « Vivo autem iam non ego: vivit in me Christus ». (Gal., II, 19-20).

Mortificationis opera.

13. Praeter abstinentias et ieiunia quibus omnes fideles adstringuntur, ea observent quae in propriis Constitutionibus ordinantur, praesertim vigilias solemnitatum Immaculatae Conceptionis et Seraphici P. Francisci.

Caput V

De modo interius exteriusque conversandi

Mortificationis spiritus.

14. Cum Fratres et Sorores huius Fraternitatis dicantur *de Poenitentia*, mortificationis crucem quotidie ferant, sicut vere poenitentibus congruit.

Modestia et clausura.

15. Oportet insuper eos ab omni curiositate, tam in vestimentis quam in aliis quibuscumque abstinere. Et iuxta Apostolorum principis beati Petri salubre consilium, depositis ceteris vanis huius saeculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, nisi proprium religiosum habitum (Reg. cit., cap. VI). Tenentur etiam ad clausuram servandam iuxta sacros canones et proprias Constitutiones.

Exterior conversatio.

16. Debent quoque esse parci in verbis et locutionibus, quae raro sine peccato multiplicantur. Talis sit Fratrum et Sororum conversatio, ut omnes verbo et exemplo aedificent ac memores sint Dominum dixisse: « Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » (Matth., V, 16). Pacem annuncient omnibus humili et devota salutatione utentes: et pacem non in ore tantum, sed et in corde semper secum deferant (Reg. cit., cap. VI).

Caput VI

De cura infirmorum

Infirmorum cura.

17. Si quis Frater vel Soror in infirmitatem ceciderit, nemo sit qui operam suam adiutricem neget; sed Superiorum erit congruum pro infirmo servitium disponere. Ceteros, tali servitio non addictos, infirmum visitare non pigeat, et consolatoriis verbis confortare. Non tantum infirmis sed et senibus, aut alio modo indigentibus, caritatis officia omnes laeto animo praestent sicut decet seraphici Patris filios.

18. Teneantur potissimum Superiores infirmum vel infirmam monere de infirmitatis poenitentia acceptanda, de vera conversione ad Deum facienda, mortis quoque propinquitatem proponant et iudicii divini districtionem simulque divinam misericordiam (Reg. cit., cap. VII).

Exsequiae et suffragia pro defunctis.

19. Postquam aliquis Frater vel Soror ab hac luce migraverit, Superiores curabunt quod eius exsequiae magna cum pietate celebrentur (Reg. cit., cap. IX). Pro anima vero cuiuscumque defuncti statuta suffragia fideliter persolvantur.

Caput VII

De labore et modo laborandi

Otii fuga.

20. Qui Dei servitio, Spiritus Sancti adiuvante gratia, sese manciparunt, otium fugiant, et divinis laudibus, vel religiositatis aut caritatis operibus fideliter et devote incumbant (cf. Reg. II Ord., cap. VII).

Viliora officia.

21. Religiosi ideo officia sua propter Deum adimpleant, et quidquid ab eis Superiores exquisierint, prout vires ferunt, devote et fideliter, ut dictum est, perficiant. Viliora etiam, si quae facienda sint, ne recusent; imo libentius quam alia peragant, Seraphici Patris vestigia sequentes.

Puritas intentionis.

22. Omnia in caritate fiant, et sanctus Dei amor animos religiosorum ad opera perficienda ita impellat, ut nonnisi pro eius gloria et honore operari eos contingat; et Sancti Pauli Apostoli monitum adimpleant: « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei » (*I Cor.*, X, 31).

Caput VIII

De obligatione servandi quae in Regula continentur

Regulae obligatio.

23. Omnia et singula in praesenti Regula contenta sunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla sunt obligatoria ad peccatum, mortale et veniale, nisi humano vel divino iure aliquis alias esset obligatus (Reg. cit., cap. X).

Obligatio votorum.

24. Obligantur tamen Fratres et Sorores facere poenitentias sibi a Superioribus impositas, quando super hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia: ad paupertatem, iuxta terminos propriorum statutorum; ad castitatem, se adstringendo ad servandum caelibatum et insuper novo titulo, id est ipsius voti, ad abstinendum a quocumque actu, tum externo, tum interno castitati opposito; ad obedientiam, assumendo obligationem obediendi mandato legitimi Superioris ad normam propriarum Constitutionum (cf. Reg. cit., cap. X).

Studium observantiae.

25. Omnes tam Fratres quam Sorores ad religiosi status quem professi sunt praescriptum, vitam instituant et componant, atque in primis, quae ad suorum votorum perfectionem pertinent, fideliter observent. Ea praesertim maximi faciant, quae ad Seraphici Patris caritatem et paupertatem sectandas inducunt; filium enim maxime decet Parentis sui et imaginem et virtutes referre.

CONCLUSIO

Sancti Patris Francisci benedictio

Benedictio S. Francisci.

Quicumque haec observaverint, in caelo repleantur benedictione altissimi Patris caelestis, et in terra repleantur benedictione dilecti Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito et omnibus Virtutibus caelorum et omnibus Sanctis. Et ego Frater Franciscus, parvulus vester et servus, quantumcumque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem, quam habeatis cum omnibus Virtutibus caelorum et omnibus Sanctis nunc et in saecula saeculorum, Amen. (Ex Seraphici Patris testamento.)

Nos quidem, veterem legem Leonis PP. X prorsus abrogantes, libenter, saeculo a Francisci obitu septimo exeunte, hanc *Regulam Tertii Ordinis Regularis Seraphici Patris S. Francisci* apostolica auctoritate Nostra approbamus et confirmamus; id fore plane confisi ut Tertiarii Regulares, iique omnes qui, etsi vota sollemnia ex instituto non habent, religiosam tamen vitam, duce Francisco, agunt, spiritu novae Legis roborati, quemadmodum egregie scribebat Decessor Noster Benedictus PP. XV, *ceteris sodalibus Tertiariis, qui mundi negotiis curisque impliciti* remaneant, *in christiana perfectione colenda* sint *exemplo, eisque tamquam duces ad sempiternam salutem quaerendam* praeire pergant. [1]

Legis Leonis abrogatio. Huius regulae approbatio.

Spes et adhortatio Pontificis.

Haec mandamus, decernentes, praesentes Litteras et Statuta in eas inserta atque inclusa, firma, valida atque efficacia semper extare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectant aut in posterum spectare poterunt, nunc et pro tempore amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet, etiam speciali atque individua mentione dignis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis atque excerptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IV mensis Octobris, in festo Sancti Francisci Assisiensis, anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

Dies (4 oct. 1927).

De speciali mandato SS.mi

C. CARD. LAURENTI, *S. Cong. de Religiosis Praef.*

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH, *S. R. E. Cancellarius.*

IOSEPH. WILPERT, *Protonotarius Apost. Decanus.*

DOMINICUS JORIO, *Protonotarius Apostolicus.*

(L. ✠ P.)

Reg. in Canc. Apostolica, vol. XXXVI, n. 87.

(1) Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XIII, p. 131 (N. M.).

ANNOTATIONES

I. Praesenti Constitutione Apostolica, S. Pontifex feliciter regnans, diuturnis votis satisfacit multarum religiosarum familiarum Tertiariorum S. Francisci quae, praeter Constitutiones, ut fundamentalem habebant regulam Leonis X in pluribus obsoletam. Id potissimum valet de Tertio Ordine regulari S. Francisci. Beneficio novae regulae ad praesentia adiuncta accommodatae omnes religiosos Tertiarios SS. D. N. PIUS Papa XI donare voluit, septimo exeunte saeculo a sanctissimo obitu Seraphici Patris.

II. Praesens regula e superiore LEONIS X assumpsit quae adhuc vigere poterant, supplevit plura ex Codice, ut de anno noviciatus (art. 4); de frequenti et cotidiana communione (art. 7); de suffragiis statuendis pro defunctis alumnis (art. 19).

III. Voluit tamen regulam Leonis X imitari, quatenus ea sola ordinet quae fundamentalia sunt et omnibus Tertiariis religiosis communia esse possunt, ita ut propriis singulorum Constitutionibus omnino compleri debeant.

IV. De voto *castitatis* consueta hodie formula adhibita est, qua religiosi professione sua (sive simplici sive sollemni) se astringunt ad servandum caelibatum, et novo titulo voti ad abstinendum a quocumque actu tum externo tum interno castitatis opposito.

Observes, *a*) statum coniugalem *per se,* componi posse cum voto castitatis, ita ut haec obligatio e iure positivo repetenda sit; *b*) si, dispensati a S. Sede, coniuges religionem ingrediantur, obligationem voti etiam ad istos actus traduci qui inter coniuges castitati non adversantur; *c*) classicos Doctores consuevisse obligationem voti castitatis potius hac altera formula exprimere, qua dicebant religiosum voto castitatis obligari ut abstineat « ab omni voluntaria delectatione venerea

interna et externa ». «... ab omni actu venereo », Sic SANCHEZ, *Dec.* L. 5, c. 6 n. 9; LAYMANN, *Theol. mor.* L. 4, tr. 5, c. 8, n. 1,; BUSENBAUM, *De praeceptis particul.* c. I, Dub. 4, Resp. II, et apud S. ALPHONSUM, L. 4, n. 37. Tunc complicitas non libidinosa in alieno peccato (utputa adulterii) quamvis virtutem castitatis laedat, non putatur *voto* castitatis prohiberi. Quod etiam de praesenti formula intellegi posse arbitramur.

V. Ut certo certius incommodum observantiae duarum regularum arceatur, S. Pontifex explicite declarat: « veterem legem Leonis Pp. X prorsus abrogantes »: completa suppressio legis Leonis X clarius sanciri non potuit.

58. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Allocutiones 19 et 24 dec. 1927.

I. ALLOCUTIO CONSISTORIALIS 19 DEC. 1927 (1)

Venerabiles Fratres,

Dolor de defunctis S. R. E. Cardinalibus,

Quas vestrum idemque Nostrum — utpote Nobis apprime coniunctum — Sacrum Conlegium fecit, hoc anno vertente qui est in exitu, iacturas, eae quidem tam multae tamque magnae fuerunt, ut hoc totum, quamvis exiguum, tempus, cum sollemne Nobis est vos alloqui, non possimus non dare dolori declarando, quem paterno animo Nostro et suo quaeque tempore pepererunt et universae hodie afferunt vehementiorem.

ceteris rebus in aliam occasionem ditatis:

Aliae profecto non desunt longinquae, propinquae vel maerendi causae vel laetandi, quae et in hoc amplissimo consessu dignae memoratu videntur, et quarum fortasse multi a Nobis hic commemorationem expectant. Verum, cum facultas atque occasio de iis ipsis rebus loquendi vel scribendi aliquando dabitur, tum cogitationes pressius ad se revocant Nostras tot lectissimae animae, quarum consuetudine Nobis usque dudum frui ac delectari licuit. Etenim Patribus Cardinalibus quattuor morte sublatis viduatae sunt totidem Archiepiscopales Sedes, quae quidem inlustres cum essent ac praestantissimae, inlustriores eas effecere et egregiis animi sui laudibus et pastoralis

quattuor qui simul archiepiscopalem sedem occupabant,

(1) Ex *Osservatore Romano*, 19-20 dec. 1927.

studii sui operibus a beneficiis conlegae vestri; quibus, uti viventibus cum episcoporum cuiusque suorum existimatio et caritas, tum grata populi sui voluntas et amor perpetuo constitit, sic vita functis communis omnium comploratio comitata est.

et tribus in Romana Curia.

Atque hoc ipso temporis spatio tres de vestro Conlegio in Romana Curia desiderati sunt, quorum obitum eo vehementius doluimus ac dolemus, quo a Nobis propius operam exegere suam et quo clariores, in mortalis vitae cursu atque exitu, observantiae ac pietatis, qua Nos prosequebantur, ediderunt exhibueruntque significationes. Quos quidem et dilectos filios Nostros et conlegas vestros memori piaque mente complectimur ac complexuri sumus, Deum benignissimum rogantes, velit triumphantis Ecclesiae impertiri iis gloriam ac beatitatem, quos, sibi tam fideliter servientes, inter principes Ecclesiae militantis in terris collocaverat.

Accessit ultronea abdicatio Em. Ludovici Billot,

Aliam praeterea iacturam, eamque haud ita levem, tum fecit amplissimus Ordo vester, cum sacrâ se Purpurâ abdicavit, eminentissimus ille vir, Ludovicus Billot, qui, idcirco, unde ad vos venerat, eo religiosam repetiturus vitam reversus est, ad gloriosam dicimus, praeclareque de Ecclesia Sancta Dei meritam, Societatem Iesu. Quas vero ille — cum manu ad Nos sua scripsit ut excelsae dignitatis dimittendae sibi veniam faceremus — attulit abdicationis causas, adeo Nobis visae sunt generosae ac spirituales, adeoque gravibus in adiunctis propositae, ut re diu multumque vel inter orandum perpensa, officio consentaneum Nostro duxerimus, abdicationem eiusmodi ratam habere et ad effectum perducere; in quo navarunt operam Nobis suam Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis et Praepositus generalis eiusdem Societatis, opportunas ad perpetuam rei memoriam conficiendo, de expresso mandatn Nostro, litteras, quas cum perlegissemus et probavissemus, die XXI mensis Septembris hoc anno datas sigilioque obsignatas Nostro, Cardinalis et Praepositus sua ipsi manu subscripsere.

quam, perspectis allatis motivis et gravibus adiunctis, S. Pontifex acceptavit.

De huius mandato confectae litterae obsignatae suo sigillo et subscriptae ab Em. Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis et a Praep. Gen. S. I.

Creatio novorum Cardinalium.

Postulat igitur tanta haec conlegarum vestrorum amissio, ut numerum vestrum Venerabiles Fratres, dignorum cooptatione vivorum suppleamus; Romana autem Purpura honestare placet lectissimos viros quinque, ob multiplicis doctrinae laudem, ob negotia Ecclesiae recte gesta, ob actuosamve episcopalis muneris perfunctionem, et omnibus commendabiles et Nobis probatissimos.

Hi sunt:

Alexius Henricus Lépicier, Archiepiscopus titulo Tarsensis;

RAYMUNDUS MARIA ROULEAU, Archiepiscopus Quebecensis;

PETRUS SEGURA Y SAENZ, Archiepiscopus Burgensis, ad Sedem Toletanam mox transferendus;

CAROLUS IOSEPH HENRICUS BINET, Archiepiscopus Bisuntinus;

IUSTINIANUS SERÉDI, electus Archiepiscopus Strigoniensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum

ALEXIUM HENRICUM LÉPICIER,
RAYMUNDUM MARIAM ROULEAU.
PETRUM SEGURA Y SAENZ,
CAROLUM IOSEPHUM HENRICUM BINET
IUSTINIANUM SERÉDI.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Reliquum est ut episcoporum ordinem suppleamus.

ANNOTATIO

Istud potissimum mente tenendum esse videtur, demum, in hoc consistorio, abdicationem Card. Billot publici iuris factam esse, authenticum autem documentum de oblata et acceptata resignatione consistere in litteris quas, de expresso S. Pontificis mandato, die 21 septembris 1927, confecit Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis, eas simul cum Praeposito Generali S. I. subscribendo, et quae sigillo S. Pontificis obsignatae sunt

II. ALLOCUTIO 24 DECEMBRIS 1924

Allocutio ista, qua S. Pontifex gravia argumenta tractat quae in consistoriali allocutione consulto praetermissa sunt, non fuit lecta; ita ut ex ore Beatissimi Patris excipienda fuerit. Eam referimus sicut reperitur in Osservatore Romano, *25 dec. 1927. Italice pronuntiata, latine a nobis vertitur.*

Eravamo, dilettissimi figli, facili profeti quando, nella recentissima Allocuzione Concistoriale, mettevamo alle viste prossime occasioni per dire quello di cui allora, fors'anche contrariamente all'aspettativa di molti, credemmo più opportuno di tacere.

Celebrato consessus splendore, Pontifex accepta habet vota sibi expressa et ad se missa, eaque mutua reddit.

Eccoci di nuovo col Sacro Collegio adunato intorno a noi. Consesso questo sempre e per sè stesso ed anche per sè solo così solenne, oggi poi reso anche più solenne, come dalla contiguità delle sante feste natalizie e del vicino rinnovarsi dell'anno, così dalla magnifica cornice della Prelatura Nostra romana, e in particolar modo dalle parole dell'E.mo Cardinale Decano del Sacro Collegio, quella parola sempre rifiorita di giovanile colorito, e nella quale palpita e squilla sempre giovane il cuore.

Vogliamo anzitutto rispondere a quello che di più caro questa parola Ci annunciava, vogliamo dire i voti e gli auguri del Sacro Collegio, e di quanti voi siete qui adunati, dilettissimi figli. Ci affrettiamo a rispondere a tutti gli auguri e voti vostri con ogni pienezza ed effusione di cuore, pregando Iddio benedetto, Egli che solo ne ha il segreto, che voglia corrispondervi con ogni pienezza e larghezza delle sue grazie. Vogliamo anche rispondere a tutti quegli altri voti di cui la voce dello E.mo Cardinale Decano si faceva interprete così fedele, e che giungono a noi da tutte le parti della nostra grande famiglia cattolica. È uno spettacolo veramente consolante quello per il quale da tutte le parti dell'episcopato, dal clero, da tante famiglie religiose, da popoli, da laicati, da istituzioni cattoli-

---

(1) I. e. latine: Facile Nobis fuit in nuperrima Allocutione Consistoriali astantibus praenuntiare proximas occasiones ea dicendi quae tunc, fortasse contra multorum exspectationem, opportunius putavinus silentio premere.

En denuo circa Nos Sacrum Collegium convenit. Consessus iste semper iam et per se solum adeo splendidus est, sed hodie ad eius splendorem addunt cum vicina festa Natalicia et anni renovatio, tum magnifica corona Praelatorum Nostrorum Romanorum, et praecipue verba Em. Cardinalis Decani Sacri Collegii, quae semper iuvenili colore colorata reflorescunt, et in quibus semper palpitat et sonat cor iuvenile.

Ante omnia respondere proponimus nuntio maxime grato quod verba ista continebant, i. e. votis et optatis Sacri Collegii, et omnium vestrum, quotquot huc convenistis, dilectissimi Filii. Omnibus vestris optatis et vobis properamus respondere pleno et effuso corde, orando Deum benedictum, qui solus haec secreta novit, ut ea omni plenitudine et largitate gratiarum exaudire dignetur. Omnibus aliis votis respondere volumus, quorum vox Em. Cardinalis Decani se fecit tam fidelem interpretem, et quae ex omni parte magnae nostrae familiae catholicae ad Nos perveniunt. Spectaculum istud vere solatio plenum quod ab omnis regionis episcopis, a clero, a tam multis religiosis familiis, a

che, specialmente giovanili, da tanti cleri con intere personali sottoscrizioni, Ci vengono giungendo auguri e voti di così cara filiale devozione. Vada a loro l'augurio del cuore paterno, che a loro torna, ricambiando i loro sentimenti con tutte le benedizioni di cui essi hanno nel pensiero e nel cuore il desiderio.

Laetam spem manifestat conceptam de Museo Missionali,

L'Eminenza Vostra, nell'offrirci i suoi voti, Ci invitava a soffermarci su quello che accade da vicino e da lontano. Da vicino toccava di quella inaugurazione del Museo Missionario Etnologico, nella quale Ella ci ha porto così valida, bella e filiale l'opera e la parola sua. Fu certo una grande consolazione anche per Noi quella inaugurazione, sebbene costretti — date le circostanze presenti — a parteciparvi soltanto in assenza, o meglio, in presenza di solo cuore e di soli pensieri. È una grande speranza quel Museo per l'avvenire delle Missioni, poichè confidiamo di avere acceso una luce che sempre più largamente ed efficacemente brillerà attraverso tutto il mondo, accendendo la premura per l'opera delle missioni, che è veramente divina, perchè è continuazione di quell'apostolato che il Divino Maestro stesso iniziava quando ai suoi Apostoli, i primi Missionarii, rivolgeva l'invito: « *Euntes docete omnes gentes* ».

È una grande speranza anche per il bene immediato dei missionari e dell'opera loro, perchè attraverso a questo gran libro aperto e dilatato in quella sua splendida luce « laterana » potranno leggervi e impararvi tante utili cose e mettersi, fin

---

populis, a laicis, ab institutionibus catholicis, maxime iuvenum, a tot clericis qui proprium nomen apposuerunt, optata et vota tam carae filialis devotionis ad nos adveniunt! Ad eos ab hoc splendido consessu perferatur significatio nostrae paternae gratitudinis, ad eos perferatur et redeat hoc paterni cordis optatum, compensando eorum affectus omnibus benedictionibus quarum mente et corde gerunt desiderium.

Dum vota sua Nobis offerebat, Eminentia Vostra nos invitabat ad insistendum in iis quae vel prope vel longe a Nobis eveniunt. Prope Nos insinuabat eam dedicationem Musei Missionalis Ethnologici, in qua operam et verba Nobis tam valide, pulchre et pie contulit. Etiam Nobis non modico solatio fuit ista dedicatio, quamvis adiunctis cogeremur partem tantum absentes in ea sumere, vel potius, corde solum et cogitatione praesentes adesse. Museum hoc magnam spem affert de futuris Missionum rebus, quia confidimus a Nobis accensum esse lumen quod in dies magis large et efficaciter per universum orbem splendebit, excitando sollicitudinem pro opere missionum, quod re vera divinum est, quia continuat apostolatum istum cuius Divinus Magister fuit auctor, quando suos Apostolos, primos Missionarios, sic invitabat, « *Euntes docete omnes gentes* ».

Multum etiam inde speratur pro bono immediato missionariorum eorumque operae, quia in ingenti isto et aucto splendida luce « lateranensi » libro tam multa utilia legere et addiscere possunt, et iam hinc attingere poterunt populos,

da qui, in contatto con quei popoli, con quei paesi, con quelle civiltà, con quei costumi, con quegli ambienti di idee e di usi nei quali essi sono destinati a portare il messaggio del Divino Vangelo. Ed al Museo Lateranense dobbiamo aggiungere, dopo quello di Molfetta, i Seminari di Potenza per la Basilicata e di Cagliari per la Sardegna, grandi finestrate di speranze che Ci sembra di avere aperto all'orizzonte, speranze di sacerdoti ben formati e di popoli santificati.

de Seminariis nuper erectis;

E intanto sempre da vicino, o più o meno da lontano, altri eventi si svolgono egualmente consolanti per il cuore del Vicario di Cristo; e cioè i trionfi del Cuore di Gesù nei congressi eucaristici di Bologna, di Einsiedeln, di Lione, per non dire che delle principali solennità eucaristiche. Ed ancora quegli altri trionfi che si celebravano nei vari congressi eucaristici, giovanili, cattolici, missionari in Francia, nel Belgio, nella Germania, nella Polonia. Nè meno liete ci appaiono, nella lontana America, quelle belle giornate palpitanti di fede e di amore intorno al Cuore Immacolato di Maria, che allietarono la Bolivia e il Perù e poi le altre che si celebrarono nel Perù per concorso felice di quell'Episcopato e della fede viva e cavalleresca di quel Capo di Governo.

dein solacia percepta de triumphis eucharisticis Christi, de honoribus tributis Immaculato Cordi Mariae, de variis congressibus iuvenum, catholicorum, Missionariorum;

E intanto Ci arriva dal lontano Giappone l'eco dell'esultanza suscitata dalla creazione del primo Vescovo indigeno, come dalla lontanissima Australia Ci giunge quasi la vampa di quel furore di intensa preparazione che già tutta l'anima per apprestare al Divino Re, nel Congresso Eucaristico, un altro grande mondiale trionfo. Di tutte queste cose sentiamo il dovere di ringraziare Iddio e di trarne lieto auspicio per l'avvenire.

de exsultante Iaponia propter primum episcopum indigenam; de ardore quo in Australia congressus euchar. paratur.

---

regiones, civilem cultum, mores, adiuncta idearum et usuum in quibus destinati sunt divini Evangelii praecones. Museo autem Lateranensi subiungere debemus, post Melfictanum, Seminarium Potentianum pro Lucania et Caralitanum pro Sardinia, quibus prospiciendam dedisse videmur affulgentem magnam exspectationem sacerdotum bene institutorum et populorum sanctificatorum.

Interea e locis propinquis vel plus minusve remotis alia eveniunt quae cordi Vicarii Christi non minora solacia dant: i. e. triumphi Cordis Iesu in congressu eucharistico Bononiensi, Einsiedlensi, Lugdunensi, ut solas principales sollemnitates eucharisticas commemoremus. Addas etiam alios triumphos quos in Gallia, in Belgio, in Germania, in Polonia, in variis Congressibus eucharisticis, iuvenilibus, missionalibus celebrarunt. Nec minus laetae Nobis, in longinqua America, videntur pulchrae dies palpitantis fidei et amoris adversus Cor Immaculatum Maria, quae Boliviam et Peruvianam rem publicam laetificarunt, et aliae quae in Peruviana re publica celebratae sunt ex felici cooperatione Episcoporum istius regionis et fide viva et generosa rectoris istius Gubernii.

Ad luctuosa digressus, S. Pontifex crudelia facta Mexicana, Russiaca, Sinensia deplorat.

Purtroppo però da varie parti non sono mancate nè mancarono anche ora grida di dolore. Anche in questi ultimi giorni e anzi in queste ultime ore, dal Messico, dalla Russia, dalla Cina ci giungono gli annunzi di cose tristissime, di barbarie senza pari, di crudeltà e di atrocità appena credibili, in questa luce di civiltà del secolo ventesimo, appena credibili nel cospetto di tutte le nazioni, appena credibili senza che tutte le nazioni insorgano con un grido di orrore e di esecrazione.

Dio conosce i suoi segreti. Dio conosce quelli che soffrono e muoiono per Lui. È un pensiero di cui sentiamo il bisogno quando tante innocenti vittime muoiono ignorate, si può dire dal mondo, sepolte sotto la pietra tombale di una vera congiura di silenzio. Dio li conosce e Dio prepara loro e a ben molti di loro ha già imposto la corona del trionfo, della gloria, della letizia. Ma già anche dei bagliori incontenibili sono balenati, tanto che nella Chiesa tutta ne è diffusa la gioia grande e la edificazione; gioia nel vedere che tanta gloria e in così magnifico modo va al Cuore di Gesù Benedetto; edificazione nel vedere tanta fortezza e tanta perseveranza, in mezzo a tanto imperversare di dolori e di pene. Come vedete sono insieme tristezze e gioie, gioie divine che germogliano e fioriscono sulle tristezze umane.

Haec Deum vindicem habent, Christum glorificant, Ecclesiam aedificant.

Simul autem a remota Iaponia Nobis resonat exsultans laetitia excitata creatione primi Episcopi indigenae, sicut a remotissima Australia nobis lucet quasi fulgur intensae praeparationis qua tota iam incenditur ut in Congressu Eucharistico alter triumphus mundialis Divino Regi paretur.

De omnibus istis Nos obligatos sentimus ad gratias Deo agendas et ad laeta inde praesagienda futura.

Attamen e variis partibus non defuerunt neque nunc desunt eiulatus. Etiam in his postremis diebus, immo et horis, ex Mexicana, ex Russiaca, ex Sinensi regione Nobis adveniunt nuntii rerum tristissimarum, immanitatum inauditarum, crudelitatum et atrocitatum vix credibilium in conspectu omnium nationum, quas vix existimares agi posse quin cum clamore horroris et exsecrationis omnes gentes insurgant.

Deus sua secreta novit. Deus eos novit qui pro Ipso patiuntur et moriuntur. Necessitatem experimur id recogitandi, quando tot victimae innocentes pereunt, a mundo, id dici potest, ignoratae et sepultae sub lapideo tumulo verae conspirationis ad silendum. Deus ipsos cognoscit, et Deus ipsis praeparat nec paucis iam imposuit coronam triumphi, gloriae, laetitiae. Et iam etiam fulgores qui contineri non potuerunt coruscarunt, ita ut inde universa Ecclesia perfusa fuerit ingenti gaudio et aedificatione; gaudio e visione tantae gloriae quae tam splendida ratione provenit Cordi Iesu benedicti; aedificatione e visione tantae fortitudinis et tantae constantiae, dum dolores et poenae tantopere furiunt. Sicut videtis, sunt simul tristitiae et gaudia, gaudia divina quae supra humanas tristitias germinant et florent.

Studia episcoporum, cleri et populi Galliae sunt etiam causa solacii pro Pontifice. Laudato opere « Danaro del culto » eiusque crescente prosperitate, qua recognoscitur heroica virtus cleri Galliae, significationes filialis pietatis quas e Gallia excepit gratissimas habet.

Da queste lontananze richiamandoci più vicino a Noi, dobbiamo, o dilettissimi figli, anche per rendere onore al merito e gloria a Dio, dobbiamo pur segnalare un' altra grande consolazione. Vogliamo dire quelle che da molto tempo oramai Ci giungono dalla vicina carissima Francia, consolazioni grandi che ci vengono dall' Episcopato, dal clero, dalle popolazioni di Francia. Sono testimonianze anche individuali e sparse, ma il più spesso collettive, grandemente, largamente collettive, di devozione profonda, di intimo filiale affetto, che veramente Ci vanno al cuore come la più dolce delle consolazioni. E con questo lo svolgimento bellissimo, il fiorire non solo permanente, ma sempre più rigoglioso di un' opera così bella, come il « danaro del culto », questa meraviglia dei giorni nostri, non solo continuata ma sempre crescente, non fosse che per il riconoscimento di quell' eroismo del clero francese che, in mezzo a tante difficoltà, ben spesso in mezzo a vera penuria, tiene così bravamente dei posti divenuti tanto difficili, tanto laboriosi, tanto logoranti. Espressioni di una filialità, di una pietà così tenera abbiamo ricevuto: di una così tenera, così generosa, così larga devozione, da commuoverCi profondamente. Non vi nascondiamo una circostanza assai gradita a Noi e che proprio negli ultimi giorni ha avuto una conferma che Ci è riuscita sommamente gradita. È il crescere continuo, di numero e di contenuto, di pubblicazioni in Francia, in difesa della buona causa, della verità, del bene, della Santa Sede e del Vicario di Cristo. Anche all' ultima ora ricevemmo un ispirato volume nel quale uomini che rispondono ai nomi di Don-

Commendat opera recens ibi scripta pro iusta S. Sedis et Pontificis causa, praecipue opus « Cur Roma locuta est ».

Deserentes iam longinquiora pro propinquioribus, debemus, dilectissimi filii, etiam ut meritum honoremus et gloriam Deo reddamus, alteram magnam consolationem manifestare. Ea intendimus solacia quae diu iam nunc Nobis affert vicina et carissima Gallia; solacia ingentia ex Episcopatu, e clero, e populis Galliae. Testimonia haec exstant etiam singularia et separata, saepius tamen collectiva, copiose, large collectiva, profundae devotionis, intimi affectus filialis, quae re vera cor dulcissimae consolationis modo afficiunt. Huc addas pulcherrimam extensionem, non constantem solum sed etiam vividiorem prosperitatem adeo pulchri operis quale est « obolum cultus » (danaro del culto), mirabile hoc dierum nostrorum quod non solum perseverat sed usque crescit, iam propter hanc rationem ut agnoscatur heroica virtus cleri gallici qui, in tot difficultatibus, valde frequenter in vera rerum penuria, officia quae tam difficilia, tam laboriosa, tam caduca evaserunt, adeo strenue occupat. Accepimus significationes animi filialis, tam tenerae pietatis; ita tenerae, ita generosae, ita largae devotionis ut profunde commoveremur. Nec vobis celamus circumstantiam Nobis valde acceptam et quae his ultimis diebus confirmata est modo qui Nobis maxime placuit. Constanter numero et rebus contentis crescunt in Gallia edita scripta quae causam bonam, veritatem, bonum, S. Sedem et Vicarium Christi tuentur. Etiammum ultima hora recepimus sancte excogitatum vo-

coeur, di Maritain, di Bernadot, di Maquart, di Lajeunie e di Lallement, spiegano « perchè Roma ha parlato », opera mercè la quale già si è fatta la luce in molti e speriamo che sempre più largamente se ne faccia.

De obstinatis errantibus qui numero minores fiunt et consilia politica Papae absurde tribuunt. Eos miseros dicit, caros habet, eorumque fallacias denuntiat.

Altri poveri figli nostri, sempre cari, tanto più cari quanto più poveri, tanto più cari quanto più si mostrano accecati, e dall'accecamento fuorviati, continuano — in sempre minor numero, è vero, ma sempre in un certo numero, — continuano nelle loro assurdità di attribuire al Papa pensieri di politica, di partiti politici, di intendimenti politici, politica di partito, di internazionalismo, di nazionalismo: pensieri e ispirazioni di cui neanche un alito solo, così ora come fin da principio, è penetrato nel Nostro spirito, nei Nostri sentimenti, nelle Nostre azioni. Sono fantasie che abbiamo voluto chiamare follie, per non doverle chiamare calunnie, troppo dura parola quando si tratta tra figli e Padre. Continuano in questo sistema di travisamento e di riverente irriverenza (per così dire), giacchè protestano di rispettare e riverire quella autorità che continuamente calpestano e offendono, con irriverenza non sappiamo se dire più ipocrita o più proterva. Ma Dio vede e Dio provvede e quello che sappiamo ci reca veramente conforto e — Dio sia benedetto — sentiamo le con-

---

lumen, in quo viri quorum nomina sunt Boncoeur, Maritain, Bernardot, Maquart, Lajeunie, Lallement, explicant « cur Roma locuta fuerit » : Opus istud iam multis lucem affundit, quam speramus fore ut usque magis diffundatur.

Alii miseri filii nostri, semper cari, eo magis cari quanto magis miseri, eo magis cari quo magis se demonstrant occaecatos, et excaecatione errantes, — semper quidem minore numero, semper tamen aliquo numero, — pergunt absurde Pontifici imputare consilia politica, factionum politicarum, intentionum politicarum, politicae factiosae, internationalismi, nationalismi, de quarum cogitationum et propositorum ne halitus quidem sive nunc sive ab initio Nostram mentem, Nostros affectus, Nostra acta penetravit. Phantastica ista nomine stultitiarum compellare voluimus, ne ea diceremus calumnias; quod verbum nimis asperum est inter filios et Patrem. Continuant istud systema adulterationum et reverentis irreverentiae (ut ita dicamus), cum protestentur se observare et revereri potestatem istam quam perpetuo conculcant et offendunt, modo irreverenti quem, utrum magis fictum an magis protervum dicamus, nescimus. Verum Deus videt et Deus providet, atque id quod novimus vere Nos roborat, et, — Deo sint gratiae — solacia semper poenis validiora sentimus. Deus videt et providet, nec minimum dubitamus quin eius lux tenebras mox discussura sit, et omnium cordibus infusura sit pacem veram quae a veritate et a iustitia plene recognita proficiscitur.

Triste est videre quomodo ista aberratio ab omni veritate quandam citra Alpes imitationem invenerit. Etiam citra Alpes nec defuerunt nec desunt qui scopos politicos, intentiones politicas scrutantur ubi non sunt nisi cogitationes et proposita religiosa. Suntne discipuli? complices? Victimae scholae transal-

solazioni sempre più prevalenti alle pene. Dio vede e Dio provvede, e non dubitiamo punto che la sua luce presto dissipi le tenebre e porti in tutti i cuori la pace vera che viene dalla verità e dalla giustizia pienamente riconosciute.

In ipsa Italia inveniunt imitatores.

È triste vedere come questo traviamento di ogni verità abbia trovato qualche imitazione al di qua delle Alpi. Anche al di qua delle Alpi non sono mancati e non mancano di quelli che vanno cercando mire politiche, intenzioni politiche, là dove non sono che idee e intendimenti religiosi. Allievi? complici? vittime della scuola d'oltr'Alpe. Avremmo sperato che come il buon senso francese già va facendo giustizia di tante aberrazioni, così anche il buon senso italiano avesse loro impedito di passare il confine.

Memorato promerito Pontificum quorum opera aliqua Italiae pars semper mansit Italia et Italorum,

Ci troviamo così ricondotti, o dilettissimi figli, a questa nostra cara Italia (e diciamo nostra cara Italia, non solo perchè è la nostra terra natale, ma proprio nella qualità nostra di Romano Pontefice, perchè se una parte d'Italia è rimasta sempre Italia e degli italiani, fu proprio merito del Pontificato Romano) e non possiamo non esprimere la nostra consolazione nel constatare molte piccole e grandi cause di conforto, ed una sopra tutto così solida e sostanziale quale è la continuità ed estensione dell'insegnamento religioso in genere così bene assicurato e così bene svolto, producente tanti frutti di vita cristiana non solo nelle infime classi ma anche in quelle superiori; e confidiamo che i frutti di questo insegnamento sempre più e sempre meglio si realizzino.

Iaetatur potissimum de ordinata institutione religiosa,

simul timet Oratoriis quorum quaedam suppressa sunt.

Ma non possiamo anche nascondere alcuni argomenti di preoccupazioni. Voi sapete che non siamo pessimisti nè per temperamento nè per riflessione. Ringraziamo anzi Iddio che ci

---

pinae? Sperabamus futurum fuisse ut, sicut communis sensus Gallicus tantas aberrationes iam pro merito damnat, communis sensus Italicus ipsas transeundis finibus prohiberet.

Sic, dilectissimi filii, reducimur ad nostram caram Italiam (et nostram caram Italiam dicimus, non tantum quia natale solum nostrum est, sed proprie qua Romanus Pontifex sumus, quia, si pars Italiae semper mansit Italia et Italorum, id promeritum fuit Romani Pontificatus), nec possumus nostram consolationem reticere, cum multas parvas et magnas solacii causas observamus, atque omnium primo eam tam solidam et substantialem qualis est continuitas et extensio instructionis religiosae, tam securae effectae et tam feliciter ampliatae, quae non in infima classe tantum sed etiam in ordinibus superioribus tot fructus fert vitae christianae; et confidimus fore ut fructus istius institutionis semper fiant uberiores et meliores.

Quaedam tamen sollicitudinis argumenta occultare non possumus. Vobis compertum est Nos nec indole nec meditatione esse « pessimistas ». Immo

conserva sempre nell' intimo del cuore un fondo di ottimismo, senza cui come si potrebbe andare innanzi in mezzo a tutti i pericoli e a tante minacce? Ma non possiamo non trepidare vedendo (almeno fino a ieri) minacciata l' esistenza stessa dei nostri carissimi Oratorii. Sappiamo di parecchi che sono stati chiusi, non sappiamo se siano stati riaperti. Furono chiusi contro ogni giustizia e ogni buona ragione, per non dir altro, pedagogica, poichè è buona pedagogia quella che insegna ad alternare ogni insegnamento, anche il religioso, con buoni e sani esercizi fisici. Non Ci abbandona il nostro ottimismo, ma non sappiamo se abbia sempre e dovunque sicuro effetto quella dichiarazione che abbiamo posta nella prima Nostra Enciclica e poi ripetuta sovente, della natura non solo prevalentemente, ma essenzialmente religiosa delle nostre carissime, preziosissime organizzazioni di Azione Cattolica, tanto essenziale e tanto prevalente che non abbiamo esitato dichiarare in quella Nostra prima Enciclica che quelle associazioni sono, per definizione, e debbono essere la partecipazione del laicato all' apostolato gerarchico. Ripetiamo però che siamo e vogliamo essere ottimisti, e preghiamo con voi, dilettissimi figli, Dio Ottimo Massimo, perchè Egli voglia, nella massima misura e nell' ottimo modo, adempiere a tutti i voti augurali che da principio ricambiammo a voi, dilettissimi figli, e a tutta intiera la famiglia cattolica, in corrispondenza di quelli che da essa abbiamo ri-

Iterum inculcat instituta Actionis catholicae esse religiosae naturae.

Iterum bene ominans, S. Pontifex omnibus benedicit.

---

gratias Deo agimus quod in intimo corde Nobis conservat imum quendam optimismum, sine quo qua ratione inter tot pericula et tot minas quis ultra progredi posset? Sed non possumus non pavere, cum ipsi exsistentiae nostrorum carissimorum Oratoriorum,(1) saltem usque ad hesternam diem, minae intentarentur. Plura clausa fuisse novimus; suntne iterum aperta annon, id ignoramus. Praeter omnem iustitiam et bonam rationem paedagogicam, ne peius dicamus, clausa sunt, quia genuina ratio paedagogica docet ut omnis disciplina, etiam religiosa, bonis et sanis exercitationibus physicis mutetur. Optimismus noster Nos non deserit, sed ignoramus utrum necne semper et ubique certo efficax fuerit declaratio ista quae, in primam Nostram Encyclicam inserta, pluries deinde repetita est: carissimas Nobis et pretiosissimas institutiones catholicas natura sua non solum principaliter sed etiam essentialiter esse religiosas, ut in prima ista Nostra Encyclica non dubitaverimus declarare consociationes istas definiri et esse debere partes quae laicis obtingunt in apostolatu hierarchico. Verum, id iterum dicimus, « optimistae » sumus et esse volumus, et vobiscum, dilectissimi filii, Deum Optimum Maximum oramus ut abundantissime et optimo modo adimplere dignetur vota ista auguralia quae ab initio mutua reddidimus vobis, dilectissimi filii, et familiae catholicae universae,

(1) In institutionibus Salesianis nomine *Oratoriorum* compellantur ea quae ab aliis vocantur « patronatus », i. e. loca ubi simul ad pietatem adolescentes conformantur et honestis ludis et oblectamentis recreantur.

cevuti, più affettuosi a quelli che, nelle pene, hanno maggior diritto a consolazione e conforto.

Con questi sentimenti venga a voi, o dilettissimi figli, la Nostra paterna Benedizione, a voi tutti e singoli e a tutto quello ed a tutti quelli — care persone e care cose — che ciascuno reca nel pensiero e nel cuore in questo momento.

N. B. — De concordato inter S. Sedem et Lithuaniae rem publicam agere proponimus in proximo fasciculo, qui primus erit tomi XVII.

---

59. — Suprema S. C. S. Officii

Fit pubblici iuris declaratio iam ante privatim data.

Declaratio 2 iun. 1927

CIRCA DECRETUM 13 IUN. 1897, DE AUTHENTIA, IO. 5, 7. (1)

Ipsa declaratio.

Declaratio ab eadem Suprema Sacra Congregatione inde ab initio privatim data ac postea pluries ripetita, quae nunc ipsius auctoritate publici iuris fit:

Decretum hoc (2) latum est ut coerceretur audacia privatorum doctorum ius sibi tribuentium authentiam commatis Io-

---

congruenter cum iis quae ab ipsa recepimus et quae maiore affectu dirigimus ad eos qui, in poenis, potiore iure sibi solacium et auxilium exspectant.

Cum his affectibus perveniat ad vos, dilectissimi filii, paterna N. Benedictio, ad vos omnes et singulos, et ad omnia et ad omnes, — caras personas et caras res — quas in sua quisque mente et corde hoc momento gerit.

(1) Ex *Enchiridion Biblicum. — Documenta ecclesiastica Sacram Scripturam spectantia auctoritate Pontificiae Commissionis de re Biblica edita.* Romae, apud Librariam Vaticanam, 1927. P. 47, n. 121.

(2) N.no 4 refertur decretum 13 ian. 1897, quod sic sonat:

« Feria IV, die 11 ian. In Congregatione Generali S. R. et U. I. habita coram E.mis ac Rev.mis D.D. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito dubio:

« Utrum tuto negari aut saltem in dubium revocari possit esse authenticum textum S. Ioannis in epist. I, c. 5, v. 7, qui sic se habet: « Quoniam tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt: ?

Omnibus diligentissimo examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem E.mi Cardinales respondendum mandarunt: *Negative.*

Feria vero VI, die 15 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de suprascriptis accurata relatione SS. D. N. Leoni Pp. XIII, Sanctitas Sua resolutionem E.morum Patrum approbavit et confirmavit. — I. can. MANCINI, S. R. et U. I. Notarius.

annei aut penitus reiciendi aut ultimo iudicio saltem in dubium vocandi. Minime vero impedire voluit, quo minus scriptores catholici rem plenius investigarent, atque, argumentis hinc inde accurate perpensis cum ea quam rei gravitas requirit moderatione et temperantia, in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur se paratos esse stare iudicio Ecclesiae, cui a Iesu Christo munus demandatum est sacras Litteras non solum interpretandi, sed etiam fideliter custodiendi. »

Feria V, die 2 iunii 1927. — *Dies (2 iun. 1927).*

ALOISIUS CASTELLANO, *Supr. S. C. S. Off. Not.*

60. — Supr. S. Cong. S. Officii

Decretum 16 dec. 1927.

OPUS PROSCRIBENS LEONIS DAUDET

(A. A. S. 22 dec. 1927. XXI, 446)

E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales fidei et moribus tutandis praepositi, in ordinario consessu, habito feria IV, die 14 Decembris 1927, ad praescriptum canonis 1399 Codicis iuris canonici ipso iure damnatum esse declararunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum novissime editum, cui titulus: « LÉON DAUDET, *Le Voyage de Shakespeare.* Illustrations de G. Gorr. Éditions du Capitole » una cum praecedentibus eiusdem libri editionibus. *Dies consessus (14 dec. 1927). Declaratio. Mandata insertio in Indicem.*

Et insequenti feria V, die 15 dicti mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit, et publicandam iussit. *Approbatio SS.i (15 dec. 1927).*

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 16 decembris 1927. *Dies (16 dec. 1927).*

ALOISIUS CASTELLANO, *Supremae S. C. S. Officii Notarius.*

ANNOTATIO

Observes praesenti decreto contineri etiam declarationem qua liber qui iubetur in Indice poni authentice edicitur iam ipso iure damnatus esse can. 1399, qui seriem exhibet librorum ipso iure prohibitorum.

61. — S. C. de Sacramentis

Responsa 4 feb. 1927

DE INTERPRETANDO RESCRIPTO 29 MART. 1926

Beatissime Pater,

Orator. Procurator generalis Cong.nis Presbyterorum a SS.mo Sacramento, ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit quod aliqua dubia exorta sunt circa interpretationem Rescripti N. 1120/26, *Quaestionum occasio.* diei 29 Martii 1926, quo facultas conceditur Sacerdotibus-Adoratoribus, tempore infirmitatis, accedendi ad S. Commnnionem more laicorum, postquam sumpserint aliquam medicinam vel aliquod per modum potus.

Quaestiones Quaeritur de clausula: « praemonito Ordinario loci eiusque obtenta venia »

I. I. An ipsa possit ita intelligi ut Ordinarius valeat semel pro semper ac modo generali per actum in Commentario officiali Dioecesis publicatum, hanc veniam concedere sodalibus qui in conditionibus requisitis invenientur?

II. II. An Ordinarius possit subdelegare, v. g. Vicarios foraneos, *vel Superiores domorum religiosarum clericalium pro suis subditis* in Associationem legitime adscriptis, ad concedendam in singulis casibus veniam?

III. III. Quomodo possit provideri ut Sacerdotes Adoratores non priventur S. Communione per plures dies qui necessarii sunt pro recursu ad Ordinarium loci et pro accipienda eius responsione?

Respansa Sacra Congregatio de Sacramentis ad dubia proposita respondit:

Ad I. Ad I.um: Negative.

Ad. II. ad II.um: Affirmative, sed expedit ut Ordinarius hanc subdelegationem non tribuat ultra annum.

Ad III. ad III.um: Provisum in II.

Dies (4 feb. 1927) Datum Romae ex Aedibus S. C. de Disciplina Sacramentorum die 4 Februarii 1927.

† M. Card. LEGA, Episc.us Tuscul. Praef.

L. ✠ S. D. JORIO Secr.

ANNOTATIONES

I. Cum nunc ad nos pervenerit supplex libellus qualis, latina lingua, oblatus fuit, eum hic damus pro versione latina supra posita.

II. Nihil tamen inde mutandum arbitramur commentarium nostrum.

62. — S. Cong. Concilii

Responsa 23 april. 1927

DE SERVITIO CHORALI

(A. A. S. 1. dec. 1927, XIX, 415)

23 Aprilis 1927

Romana et aliarum

Dubia

Proposita sunt pro opportuna solutione huic Sacrae Congregationi Concilii dubia seu quaestiones quae sequuntur, de servitio chorali ad normam canonum, praesertim 414, 418, 419, ordinando, videlicet:

De iure alternativae

I. « Utrum post Codicem ad ius *alternativae* requiratur expressa concessio Sedis Apostolicae, an sufficiant consuetudo vel constitutiones capitulares ».

De supplendis absentiis.

II. « An canonici iure *alternativae* gaudentes, per interessentiam choro in hebdomada non sua possint supplere absentias admissas in hebdomada sua ».

De absentiae computatione.

III. « Cum in Abulen., d. 15 Martii 1924, resolutum fuerit diem integre computandum esse in casu illegitimae absentiae a choro etiam per aliquot horas, quaeritur: « An eadem computatio facienda sit in casu illegitimae absentiae ab aliqua hora ex parte illius qui obtinuit indultum *pro diebus et horis* ».

S. Congr. Conventus.

Porro in communi conventu in Palatio Apostolico habito die 23 Aprilis 1927, E.mi ac R.mi Patres Sacrae Congregationis Concilii responderi mandarunt:

Responsa 23 ap. 1927.

Ad I: *Affirmative* ad primam partem, salva lege fundationis; *negative* ad secundam.

Ad II: *Negative.*

Ad III: *Affirmative.*

Approbatis Pontificia, 2 maii 1927

Quas resolutiones Ss.mus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XI, ad relationem infrascripti Segretarii eiusdem Sacrae Congregationis, in Audientia habita die 2 Maii insequentis, dignatus est approbare et confirmare.

D. Card. SBARRETTI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† IULIUS Ep. tit. Lampsacen., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Haec pauca, explicationis gratia, animadvertenda:

1. Ex iure *communi,* divinum officium in choro *quotidie* persolvendum est, et omnes ac singuli chorales *quotidie* interesse debent (can. 413, 414). Alicubi tamen viget *ius alternativae*, quod in eo consistit ut servitium chorale *per turnum* praestandum sit, quatenus non omnes simul interesse divinis officiis tenentur, sed tantum dimidia pars capitularium, vel tertia aut quarta. Unde *mediaria*, vel *tertiaria*, aut *quartaria* (1).

2. Iure decisum fuit, huiusmodi *ius alternativae* non nisi ex lege fundationis aut ex indulto apostolico, non autem ex consuetudine aut ex statutis capitularibus legitime acquiri posse. Sane can. 414 memorat dumtaxat indultum apostolicum et legem fundationis, ideoque excludit profecto tum consuetudinem tum capitulares constitutiones. Nam, ubi legislator vult, expressam facit mentionem consuetudinis et statutorum capitularium, ex. gr. in can. 408 § 1; 411 § 2; 417 § 2; 418 § 1; 422 § 3; etc. Etiam ante Codicem *ius alternativae* obtineri non poterat per decretum sive

(1) Cfr. DE HERDT, *Praxis capit.* p. 239; CAPPELLO, *De visitatione SS. Liminum*, I, 617 s.

indultum Episcopi (1), et multo minus per statuta capitularia (2).

Ne ipsa quidem consuetudo proprie dicta admittebatur tamquam *titulus legitimus* iuris *alternativae*, ut colligitur ex iurisprudentia *S. C. Concilii* (3), et ex communi Doctorum sententia (4).

Eatenus consuetudo exhibetur quandoque uti titulus iuris *alternativae*, quatenus consideratur tamquam factum inducens praesumptionem indulti apostolici (cfr. can. 63, § 2); proinde *non qua consuetudo proprie dicta*, sed *qua possessio* centenaria aut immemorabilis, quae tum iure veteri tum iure novo praesumptionem inducit concessi privilegii (5).

3. Lex fundationis, ex qua legitime induci potest servitium chorale *per turnum*, attendenda est in ordine ad Capitulum ipsum et in ordine ad singulos capitulares, ideoque spectanda lex fundationis *tum* Capituli *tum* singularum praebendarum. Sedulo notandum, *fundationem* sensu vero et proprio esse accipiendam, cuius nomine intelligitur donatio seu concessio bonorum facta a persona physica aut morali, ut ex iis tamquam ex dote beneficium constituatur, seu est ipsa beneficii *dotatio*. Porro compertum est, fundatori integrum esse, de consensu episcopi seu legitimi Superioris ecclesiastici, conditiones apponere etiam iuri communi contrarias, modo ne turpes sint, nec alias a iure improbatae, nec beneficii substantiae repugnantes. Semel appositae et acceptatae habendae sunt pro *lege* sancte religioseque servanda.

(1) S. C. C. *Cingulana*, 29 mart. 1817.

(2) Cfr. PALLOTTINI, v. *Canonici*, § VIII, n. 414 ss.; ZAMBONI, v. *Canonici*, § X, n. 25 ss.; LUCIDI, *De visitatione SS. Liminum*, cap. 3, § 1, art. 1; GENNARI, *Consuet. canon.* I, XXXV, n. 4.

(3) V. g. in *Burgen.* 22 april. 1624; *Sutrina*, 27 nov. 1779; *Interamnen.* 14 ian. 1806, etc.

(4) Cfr. DE HERDT, op. cit. p. 240; DE LUCA, *De canonicis*, disc. XI, n. 3 ss.

(5) Cfr. PALLOTTINI, l. c. n. 478; Card. DE LUCA, l. c. n. 9).

4. *S. C. C. Abulen. et aliarum,* 15 mart. 1924, ad II, declaravit tempus absentiae a choro ita esse supputandum per integros dies, ut dies in qua canonicus illegitime absit « *aliquibus tantum horis* », haberi debeat tamquam dies absentiae (1).

S. Congregatio interdum concedit indultum « *pro diebus et horis* ». Hinc ratio dubii propositi et resoluti. Sensus et valor huiusmodi indulti is est, ut indultarius *legitime* abesse valeat a choro illis dumtaxat diebus et horis, in quibus occurrat peculiaris ea causa, v. g. lectio scolaris habenda, quae allegata fuit ad indultum impetrandum, et propter quam praecise ipsum indultum consessum est. Proinde indultarius, qui a choro abest *ultra dies et horas* de quibus in rescripto S. Congregationis, abest *illegitime,* et quidem absens censetur *per integrum diem:* praesentia enim ficta sive iuridica habetur solummodo « pro diebus et horis » ad normam indulti.

5. Hoc principium, attento Codice, applicatur etiam ceteris in casibus; v. g. ex can. 420 § 1, excusantur a choro et percipiunt tum fructus praebendae tum distributiones quotidianas « canonicus theologus *singulis diebus quibus suo munere fungitur* », « canonicus poenitentiarius *dum tempore chori vacat confessionibus audiendis* » « vicarius paroecialis..... *dum paroecialibus vacat officiis* », etc. Omnes isti, si a choro absint *extra dies et horas*, profecto illegitime absunt, et non solum amittunt distributiones, verum etiam absentes *per totum diem* existimantur, quia servitium chorale praestandum est *integrum,* nisi vel peculiari indulto, vel facultate ab ipso iure communi concessa, ut in casu, quis *legitime* excusetur, ac proinde uti iuridice praesens in choro censeatur.

F. M. Cappello, S. I.

(1) *A. A. S.*, XVII, p. 196.

63. — S. Cong. Rituum

Rescriptum 21 octob. 1927

DE LUGUBRI CAMPANARUM SONITU

(A. A S. 3 nov. 1927, XIX, 381)

Dubium. — Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit; nimirum:

Rationes quaerendi

Ex canone 1169 § 3, Codicis iuris canonici, campanarum usus unice subest ecclesiasticae auctoritati; ex Decretis autem S. R. C. nn. 3570 ad I, 3946 et 4130, in omnibus festis, in quibus Missa exsequialis praesente cadavere prohibetur, abstinendum est ab emortuali aeris campani sonitu, a primis Vesperis festi usque ad totum insequentem diem, etiamsi post Vesperas expleantur exsequiae pro defuncto, cum effertur corpus. Insuper ex Decreto eiusdem S. R. C., n. 4015 ad VII, diebus quibus Missa de requie prohibetur, non permittitur *lugubris sonitus* aeris campani ante Missam de festo currenti. Hinc quaeritur:

Quaestio

An diebus Dominicis aliisque diebus, quibus Missa cantata de requie absente cadavere prohibetur, tolerari possit *lugubris sonitus* aeris campani et appositio pannorum nigri coloris ad ingressum templi in iis ecclesiis vel publicis oratoriis, ubi, permittente ritu, ex consuetudine, absente defuncti corpore, dicitur Officium defunctorum aut fit Absolutio pro defunctis?

Responsum

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositae quaestioni, omnibus perpensis, respondendum censuit: « *Negative;* et quoad Missas defunctorum serventur Rubricae novissimae Missalis tit. III et Decreta, sub vigilantia Ordinarii loci et Rectoris Ecclesiae vel Oratorii ».

Dies (21 oct. 1927)

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 21 Octobris 1927.

A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

Annotationes

I. 1. Canon 1169 § 3 ita sonat: « Earum (campanarum) usus unice subest ecclesiasticae auctoritati ».

2. Decr. 3570, ad I (in Cordubensi, 27 ian. 1883) haec habet: « An Exsequiae pro Defuncto, cum effertur corpus, expleri valeant in ecclesia diebus festis sollemnioribus primae classis?

. . . . . .

« Ad I. Negative; et huiusmodi funera transferantur ad sequentem diem, aut saltem ad horas pomeridianas post diei Festi Vesperas, et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali aeris campani sonitu ».

3. In Illerden. Episcopus exposuerat in sua civitate Illerdensi vigere consuetudinem pulsandi campanas pro funeribus defunctorum etiam quando locum habent in Festis sollemnioribus. Quaerebat autem « An in casu, praedicta consuetudo tolerari saltem possit ».

S. R. C., 15 ian. 1897, respondit, « Negative, et serventur Decreta, praesertim illud in una Corduben. diei 27 ian. 1883 ad primum. Atque ita rescripsit ». (*Decr. auth.* 3946).

4. In Parentin. et Polen. Episcopus quaesivit haec duo:

« I. Quae dies nominatim per annum, incipiendo a primis Vesperis Festi et usque ad totum insequentem diem, in supradicto decreto Corduben. comprehendi censeantur?

« II. Utrum aliqua exceptio, pro rerum adiunctis, ab hac regula dari possit, iis praesertim in casibus ubi necessitas moralis funera ecclesiastica cum aliqua sollemnitate peragendi se proderet, et ad quae ista exceptio semet extendat? » *S. R. C.* respondit, die 8 ian. 1904.

« Ad I. Omnia Festa in quibus Missa exsequialis praesente cadavere prohibetur.

« Ad II. Negative; et Rev.mus Episcopus pro sua prudentia provideat ut praescripta Ritualis Romani et Decreta *S. R. C.* observentur » (*Decr. auth.* 4130).

5. In Alatrina, id quaerebatur:

« VII. An diebus quibus prohibetur Missa de Requie possit celebrari Missa de festo currenti pro anima alicuius defuncti, sed dato prius lugubri signo pro eadem Missa cum aere campano? »

S. R. C. die 18 mart. 1899 respondit:

« Ad VII. Negative, quoad sonitum lugubrem aeris campani ».

